



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

VI. Pars Meditationum. De Virtutibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)



SEXTA PARS

MEDITATIO-
NVM.DE PRÆCIPVIS
Virtutibus.

Hæc sexta & postrema Pars exhibet Meditationes de præcipuis Virtutibus Theologicis & moralibus, eo fere ordine, quo natura earum dignitasque requirit, digestas: in quibus singularum ferè natura, proprietates seu conditiones, quibus digniores reddantur, actusque tam interni quam externi, nonnullarum etiam fundamenta & incitamenta non subtiliter iuxta stateram Theologicam, sed ruditer iuxta normam practicam expendenda proponuntur, affectusque congruè inde cum propositis practicis eliciendi assignantur; in nonnullis etiam

Ccc

iam

iam methodus actus earum internos
prolixius continuandi traditur. Quae
omnia si profundius penetrantur, al-
tiusque memoriae infigantur, magnum
afferent lumen, subsidiumque, tum
ad discursus solidiores in alijs etiam de
vita Christi & Sanctorum, similibusque
meditationibus expeditius forman-
dos, affectusque his congruentes ef-
ficacius eliciendos, prolixiusque pro-
ducendos. Quare consultum erit,
non solum crebrius eas pro ordinaria
meditatione assumere, sed etiam cre-
briore earum lectione praecipuos vir-
tutum crebrius inter meditandum oc-
currentium, & cuique magis neces-
sariarum internos & externos actus,
modosque eos cum eximia perfectio-
ne exercendi sibi familiares reddere;
quod plurimum conducet ad eosdem
actus pro re nata, siue intra siue extra
meditationem cum insigni pro-
fectus spiritualis, merito-
rumque incremento
frequentan-
dos.

De perfecta Fidei dignitate, proprietati-
bus, fundamentis.

I.
Meditatio.

I. PRæludium. Constitue te in con-
spectu Dei trini & vnius, ineffa-
bili splendore circumdati, B. Virginis
& Sanctorum in hac virtute excellen-
tium, qui nunc omnia fidei mysteria
clare facie ad faciem cum summa ex-
ultatione intuentur in cœlis, quæ o-
lim obscure quasi per speculum & in
ænigmate, cum eximia intellectus ab-
negatione crediderunt in terris.

2. PRælud. Pete gratiam clarius co-
gnoscendi naturam dignitatemque so-
lide fidei, in eadem indies proficiendi,
& ad finem vsque perseuerandi. Simili
modo pro sequentibus quoque Medi-
tationibus iuxta hanc formulam, præ-
ludia singulis accommodata paucis
mutatis facile poterunt formari.

I. Punct. Expende quam eximium
Dei donum sit Fides (quæ est virtus ex
gratuita gratia intuitu meritorum Chri-
sti intellectui diuinitus infusa, qua o-
mnibus à Deo reuelatis facile firmi-
terque assentiri possumus, propter nu-
dam auctoritatem eiusdem Dei reue-
lantis) quam sit admirabile lumen o-
mnes errorum tenebras dispellens.

Ccc 2

viana-

viamque ad beatam æternitatem demonstrans: quàm inexpugnabile scutum contra omnium tentationum, persecutionum, & tribulationum incursum: quàm præclarum omnium virtutum meritum & cœlestium charismatum fundamentum, sine qua nemo potest peruenire ad filiorum Dei consortium. Quanti proinde hoc diuinum donum, lumen, scutum, fundamentum omnium gratiarum sit æstimandum? Quàm humili, gratoque animo agnoscendum, id tibi præ tot millenis millibus ab orbe condito gratis collatum? quàm feruenti obsequio merito compensandum? Gratitude pro dono Fidei.

II. Qualis debeat esse Fides, ut perfecta sit, videlicet, *Recta, magna, fortis, Recta & pura erit* 1. Si nullam habeat admixtionem vllius contra Catholicam veritatem erroris, aut vllius contra quamuis eius articulum hæsitationis. 2. Si procedat ex corde puro, gratia & charitate informato. 3. Si recta tendat in Deum, propter Deum infallibilis veritatis. *Magna & intensa erit*, 1. Si se extendat ad omnia à Deo, quouis modo, siue per traditionem, siue per Ecclesiæ definitionem reuelata

lata. 2. Si his omnibus, quantum-
 uis obscure reuelatis, multò firmitus,
 quàm ijs quæ evidentissimè cogno-
 scimus, & quasi manibus palpamus,
 assentiatur absque vlla formidine. 3. Si
 in nullo, quantumuis arduo articu-
 lo, humanas rationes curiosè exqui-
 rat, sed vnica auctoritati Dei reue-
 lantis penitus acquiescat, persuadens
 sibi verissimum esse illud D. Grego-
 rij: Homil. 26. in Euangel. *Fides non*
habet meritum, cui humana ratio præbet 2. Cor. 10.
experimentum. Fortis & constans erit 1. s̄
in captiuitatem redigens omnem intelle-
ctum in obsequium Christi, nullis con-
trarijs hæreticorum argutationibus,
 nullis humanis rationibus se in vacil-
 lationem aut dubitationem circa
 quemuis articulum induci sinat. 2. Si
 nec quibusuis contra veritatem reue-
 latam tentationibus & suggestioni-
 bus diabolicis in minimo vnquam ce-
 dat. 3. Si demum nec vllis persecu-
 tionum procellis, nec cruciatibus cor-
 poris, nec morte ipsa fracta succum-
 bat, Quam grata Deo talis fides, quæ
 tantum Deo infinitæ Veritatis defert
 honorem! quam meritoria nobis,
 quæ tot eximias de curiositate nostri
 intellectus, diaboli astutia, mundi

Luc. 17.

fallacia reportat victorias? quam ardentem ergo quotidie fidei incrementum nobis petendum: *Domine adauge nobis fidem?* quam sollicitè per frequentatos fidei actus idem acquirendum? Zelus proficiendi in perfecta fide hic potest excitari, hoc vel simili modo, 1. Desiderando tam puram, intensam, constantemque fidem acquirere, augere, illibatamque conservare; eandem alijs omnibus optando, & pro se alijsque obnixè petendo. 2. Dolendo de nostra aliorumque in hac eximia fide acquirenda seccordia, veniamque deprecando. 3. Proponendo per assiduum fidei exercitium comparari intendere fidei habitum, eiusque per orationem crebrius pro se alijsque a Deo exposcere augmentum.

III. Quam firmis hæc fides innitatur fundamentis. Quorum 1. & quidem præcipuum, *Infalibilis veritas Dei*, quæ secundum quatuor dimensiones expendi potest, quod se latissimè ad omnia reuelata, imò reuelari possibilia extendat: quod sit *infinite sublimis seu perfecta*, cui nihil possit addi vel demeri: quod sit *æterna & immutabilis*: Nam *Veritas Domini manet in æternum*: quod demum sit *Incomprehensibilis*, quæ nequeat

Psal. 116.

queat ab vlllo creato intellectu, etiam
 creari possibili comprehendendi. 2. Est *Omni potē*
tia Dēi. Immensa, infinita, interminabilis, & in-
 scrutabilis sapientia Dei, quæ infinite
 plura nouit adinuenire, quam creatus
 intellectus possit capere. 3. Infinita po- *Iob. 5.*
 tentia Dei, qui facit magna & inscruta- *Psal. 118.*
 bilia & mirabilia absque numero; qui o- *Luc. 1.*
 mnia qua voluit, fecit, in cælo & in terra,
 cui non est impossibile omne verbum. De
 qua rectè Augustinus: Demus Deum *Ep. 2. ad*
 aliquid posse, quod nos fateamur inuesti- *Volusf.*
 gare non posse. In rebus miris tota ratio fa-
 cti est potentia facientis. 4. Infinita eius-
 dem bonitas, quæ multo plura & mira-
 biliora parata est amore salutis homi-
 num præstare, quàm humana fragili-
 tas possit cogitare aut optare. Quid
 inter omnia fidei nostræ mysteria ni-
 mis creditu difficile videatur, si hæc
 fundamenta profundius penetrentur?
 Quàm prompto igitur, resolutoque
 animo omnibus illis firmissimè assen-
 tiendum, ob nudam auctoritatem re-
 velantis Dei infinite veracis, sapientis,
 potentis, benefici? Renouan-
 dus prædictus zelus profi-
 ciendi in perfecta
 fide.

II. De actibus Fidei perfecta exercendis.

EXpende quoniam sint præcipui interni actus Fidei, & quam singuli Deo honorifici, nobisque meritorij: cuiusmodi sunt, 1. Firmiter assentiri omnibus à Deo reuelatis ob nudam auctoritatem infallibilis veritatis reuelantis, & detestari omnes errores & suggestiones diabolicas veræ fidei oppositas. 2. Desiderare hanc veram fidem quoad omnes eius articulos intrepidè confiteri, propugnare, aliisque inculcare. 3. Optare pro veritate cuiusque articuli propugnanda dirissima quæque pati, & sanguinem fundere. Quam perfectè secundum omnem dimensionem hi actus, & quanto cum merito possint exerceri, videlicet *Latissimè*, ob solam auctoritatem primæ & infallibilis veritatis, item ad maiorem eius gloriam, amorem, beneplacitum: *Intensissimè* quoad firmissimum assensum intellectus, & piissimum affectum voluntatis erga omnes fidei articulos; *Constantissimè* quoad perseverantiam in fide perfectè exercenda, inter quæuis prospera & adversa, inter quæuis tērationes, mentis obnubilationes, desolationes, persecutio-

nes,

nes, cruciatus : *Profundissimè*, quoad
 profundissimam submissionem; & ab-
 negationem omnis curiositatis & re-
 pugnantia intellectus, & heroica de-
 sideria omni possibili perfectione fi-
 dei actus frequentandi. His expensis,
 hi affectus poterunt prolixius elici
 his vel similibus desiderijs : O quam
 incomprehensibilis est veritas, poten-
 tia, sapientia, & beneficentia tua, Deus,
 quam meritò omnia, quæ vobis reue-
 lare dignatus es, firmissimè sunt cre-
 denda propter tuam vnius auctorida-
 tem! Credo omnia quæ nobis, siue per
 scripturam, siue per traditionem, siue
 per Ecclesiæ definitionem, circa my-
 sterium SS. Trinitatis, Verbi incarna-
 tionis, sacramentorum institutionis,
 justificationis, prædestinationis, glo-
 rificationis, aliaque omnia credenda
 proponis; omnia hæc profiteri, pro-
 pugnare, alijsque inculcare desidero :
 pro his omnibus & singulis mortem
 oppetere paratus sum: omnes errores
 & oppositas his veritatibus quasuis
 suggestiones detestor: Idque *Purissimè*
 propter te, ô infallibilis veritas, qui
 omnia scis, omnia potes, fallere & falli
 non potes, plura & mirabilia amore
 nostri facere quam feceris, paratus es,

Ccc 5

ad.

*Exercitiu
 fidei in
 modu oza,
 tionis.*

ad protestandam tuam infinitam excellentiam, augendamque tuam gloriam: *Intensissimè*, absque vlla hæsitacione, resolutissimo intellectus assensu, & deuotissimo voluntatis affectu, imò omni possibili conatu: *Constantissimè*, inter quascumque aduersitatum, desolationum, tentationum, persecucionum, tormentorum, procellarum, nunc, semper, in hora mortis, vsquedum clarè te, & quæ reuelasti de te, videam: *Præfundissimè*, cum omni possibili demissione, mortificatione, & captiuatione intellectus in obsequiū fidei. Idque non solum meo tenui, sed omnium hominum & Angelorum, etiam possibilium, si in mea potestate id foret, intellectu & affectu. In compensationem horum imperfectorum desideriorum meorum, offero tibi omnes perfectissimos fidei actus, ab omnibus pijs viatoribus, Angelis, & hominibus, maximè à beata Virgine vnquam elicitos. Vtinam hos eisdem omnes actus multo perfectius quam ego apprehendere possim, mecum eliciant omnes mihi peculiariter commissi, omnes pijs, electi, hæretici infideles, viatores omnes nunc, semper, constanter vsque ad vitæ terminum. Doleo

leo de mea tanta in his actibus frequentandis socordia. Cupio & propono deinceps ea compenſare crebro horum actuum exercitio, maxime mane, vesperi, in oratione, ingruente tentatione.

II. Expende quam perfecte B. Virgo hos prædictos Fidei actus tota vita frequentarit, quam *pure, intense, constantè, insatiabiliter* iuxta insinuatum modum, idque absque dubio tanto perfectius, 1. quò excellentiore lumine fidei initio conceptionis suæ præ omnibus dotata fuit. 2. Quo profundius fundamenta Fidei supra posita penetrauit. 3. Quo ab omni peruersa intellectus curiositate, obnubilatione, pertinacia, & inordinata voluntatis inclinatione, & reluctantia longius abfuit. His expensis congratulare B. Virgini de tot sublimissimis fidei actibus olim frequentatis, eosdem eius exemplo elice modo quo potes perfectissimo.

III. Quinam sint præcipui actus fidei externi, quomodo perfecte possint usurpari, quales sunt 1. Fidem veram verbo aut facto ipso profiteri, & errores, hæresesque detestari, fidei professionem edendo, symbolum recitando,

ceremonias Ecclesiæ piè suspiciendo,
 & vsurpando, Venerab. Sacramentum
 adorando, piè, & reuerenter Sacro as-
 sistendo. 2. Fidem propugnare, aliosq;
 docere verbo, scripto, exemplo. 3. Irru-
 siones, contumelias, persecutiones
 pati ob verè fidei professionem, coram
 hæreticis, si res ferat, se Catholicum
 profitendo, præcepta Ecclesiæ obser-
 uando, orando, SS. Eucharistiam ado-
 rando, cruce se signando. Hi perfectè
 magno cum merito possunt exerceri,
 si non solum ex arida consuetudine,
 secundum externam speciem, sed cum
 actuali ad fundamenta fidei reflexio-
 ne, & interiorum actuum renouatio-
 ne vsurpentur: ita vt quotiescumque
 Fides per quoduis opus, aut signum
 externum foris præditur, toties intrus
 actuali, aut saltem virtuali intellectus,
 ob auctoritatem Dei reuelantis, as-
 sensu, & piæ voluntatis consensu si-
 mul exerceatur. Quam præclare id
 præstiterit illuminatissima Virgo
 Deipara, præcipuè assentiendo Ga-
 brielis annuntianti verbi Incarnatione,
 adorando & tanquam Deum reueren-
 do Filium incarnatū, natum, passum,
 mortuum, resurgentem, ascendentem:
 multa

multa mysteria fidei Apostolis reuelando: primos Christianos in fide instruendo, & confirmando, loca Filij vestigijs & mysterijs consecrata pie inuisendo, Sacro reuerenter assistendo, SS. Eucharistiam adorando, & sumendo. O si in nobis viua Fides arderet, quanta deuotio in omnibus externis fidei & religionis exercitijs resplenderet! Zelus externos actus fidei exemplo B. Virginis pie frequentandi, internosque simul eliciendi.

De perfecta Spei praestantia, conditionibus & fundamentis.

III.

EXpende quam eximium quoque Dei donum sit Spes supernaturalis, quæ est, virtus diuinitus infusa voluntatem inclinans ad omnia vera huius & futuræ vitæ bona ex gratia Dei, meritis Christi, nostris quoque meritis præcedentibus quoad nonnulla, nobis, alijsque nobis charitate coniunctis firmiter speranda, & longanimiter expectanda. Quam firma hæc sit in periculoso huius vitæ pelago

pelago fluctuantibus salutis anchora?
 quam optatum in omnibus periculis,
 angustijs, necessitatibus asylum! quam
 præsens in omnibus aduersitatibus,
 desolationibus, persecutionibus sola-
 rium! Quid hac anchora freti, hac sa-
 lutis galea muniti, pro gloria Dei non
 fecerint, quid non pertulerint, quid
 intentatum reliquerint tot agmina
 SS. Patriarcharum, Apostolorum,
 Martyrum, Confessorum, Virginum?
 quam fortiter sese omnibus irruenti-
 bus ærumnarum, aduersitatum, perse-
 cutionum procellis opposuerint,
 quam generosè omnes hostium ma-
 chinationes eluserint, quam gloriosè
 de mundo, carne, diabolo, & seipsis
 triumpharint? Quanta ergo gratia
 hoc gratuito spei dono gratis à Deo
 donari? quanta alacritate oporteret
 eidem cooperari? Gratitude pro infu-
 so spei habitu, & feruor eum augendi.
 II. Quales condiciones debeat habere
 Spes, vt perfecta, Deo grata, & valde
 meritoria sit, quarum 1. est: vt recta &
 pura sit, seu vt recta feratur in Deum,
 summum & vnicum bonum nostrum
 possibile obtineri per idonea ab ipso
 præscripta media, propter seipsum, qui
 est finis & census nostrum summè
 appe-

appetendam, infiniteque glorifican-
 dum. 2. *Vt magna sit extensio*, seu vt ex-
 tendat se ad omnia spei obiecta, quæ
 sunt, æterna beatitudo animæ & cor-
 poris, essentialis & accidentalis, om-
 nia media ad hanc consequendam ne-
 cessaria, vitiosorum habituum extir-
 patio, inordinatarum passionum mor-
 tificatio, assidua virtutum exercita-
 tio, familiaritatis cum Deo perseue-
 rantia in bono; omnia item auxilia
 gratiæ actualis ad hæc media rectè v-
 surpanda requisita. Deinde vt *magna
 sit intensio*, qua prædicta omnia fir-
 missima cum fiducia sperentur; demum
 vt *magna sit* quoad durationem, qua
 eadem licet diu differantur, cum mag-
 na longanimitate & resignatione ex-
 pectentur. 3. *Vt Fortis & constans sit*,
 immobilisque perseveret inter omnes
 rerum & temporum vicissitudines,
 inter omnes aduersitatum & pericu-
 lorum procellas, inter ipsos cruciatus,
 & mortis angores. Felix qui per assi-
 dum exercitium spei habitum sic
 intenderit, vt cum D. Iob dicere *Iob. 13.*
*possit: Etiamsi occiderit me, in ipso
 sperabo.* Et cum Michea: *tram Domini Mich. 7.*
*portabo; quoniam peccavi ei, donec causam
 meam iudicet: adducet me in lucem, in iustitiã
 videbo*

videbo iustitiã eius. Zelus proficiendi in Spe tam perfecta hic exercendus, vti supra de Fide dictum.

III. Quam solidis Spes innitatur fundamentis, quæ sunt 1. *Infinita misericordia, benignitas, liberalitas Dei*, erga omnes homines maximè electos, vti & *Infinita eius scientia & potentia*. Quid enim non sperandum filijs à Patre tali, qui vult, scit, & potest omnia ab ijs auertere vera mala, omnia conferre vera bona, prout nouit expedire, ad maiorem suam, eorumque gloriam. 2. *Infallibilitas liberalissimarum promissionum Dei*, facientibus quod in se est, veniam, gratiam, gloriam, cum omnibus auxilijs necessarijs tam liberaliter pollicentis. 3. *Infinitas meritorum Christi Domini*, quibus omnia, quæ sperare possumus, non solum nobis, sed mille, imò infinitis mundis, si essent, superabundantissimè promeruit. 4. *Multitudo perfectissimorum obsequiorum B. V. & Sanctorum*, quorum tanquam vnus corporis membra efficimur participes: & denique *Conscientia* quoque rectè factorum, & propriorum meritorum diuinæ gratiæ, & meritis Christi innixorum. Quis hæc fundamenta profundius perscrutans

rans in Spem non erigatur, atque ad
feruentius diuinæ gratiæ deinceps
cooperandum animetur, vt in se ex-
periri mereatur illud D Ioannis: *Si* ^{1. Ioan. 3.}
cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã
habemus ad Deum: & quicquid petieri-
mus accipiemus ab eo: quoniam mandata
eius custodimus, & ea quæ sunt placita co-
ram eo facimus. Idem zelus proficiendi
in Spe renouandus, cum actuali refle-
xione ad hæc fundamenta, & deside-
rio eximiæ perfectionis.

De actibus Spei perfectè eliciendis, & **I V.**
incitamentis.

I. **E**Xpende quinam sint præcipui in-
terni actus Spei, nempè 1. Sibi ali-
isque charitate sibi coniunctis per gra-
tiam Dei, merita Christi & sanctorum,
per propria quoque merita, quæ sunt
munera Dei, sperare æternam animæ
& corporis beatitudinem, veniam,
gratiam, perseuerantiam, cum omni-
bus medijs, auxilijsque gratiæ actualis
necessarijs ad hæc obrinenda. 2. Velle
ob hanc Spem quosuis labores in stu-
dio omnimodæ perfectionis subire,
omnes occurrentes remoras superare,
ad eximium eiusdem gradum contem-
dere.

dere. 3. Ob hanc eandem Spem des-
 derare falsa & caduca mundi bona
 contemnere, ad vera & æterna medul-
 litus anhelare, nulla aduersa formida-
 re, omnes huius vitæ tribulationes
 momentaneas & leues ducere. Deinde
 quam singuli perfectè, seu quam late,
purè, intensè, constanter, insatiabiliter,
 possint exerceri. Demum quomodo
 eos B. Virgo tota vita frequentari,
 tantò nimirum, excellentius, 1. Quan-
 tò clarius fundamenta spei peruide-
 bat. 2. Quo intensiorem spei habitum
 infusum acceperat, eundemque tot
 heroicis actibus intenderat. 3. Quo
 sublimiore cordis puritate, innocen-
 tia, & meritorum superabundantia
 longè super omnes Sanctos, homines
 & Angelos eminebat. His expensis
 prolixè exercendi prædicti actus, e. c.
 sic: ò Deus infinite misericors & libe-
 ralis, quid non meritò sperem de tua
 infinita beneficentia, liberalitate, po-
 tentia, & sapientia, quæ nequeunt
 comprehendi: per infinita filij merita,
 quæ non queunt exhauriri, propter
 infallibilia promissa tua, quæ non
 valent immutari. Spero in te ò æterna
 nostra beatitudo, & omne bonum no-
 strum,

*Spei
 Exercitia*

strum, & te propter hæc prædicta mihi, omnibusque electis peccatorum veniam, eadem deinceps emendandi, in omni perfectione proficiendi, in bono perseverandi gratiam, animæ & corporis gloriam cum omnibus medijs necessarijs daturum confido: hæc spei galea munitus perumpere cupio omnes difficultates in via perfectionis occurrentes: abominari omnia mundi blandimenta, ab amore æternorum abstrahentia, amplecti & exoculari omnis generis aduersitates ærumnasque pro æterna vita & diuina gloria subeundas, vndecumque obuenturas: idque continuare desidero *purè* propter te infinitè misericordem, benignum & liberalem, ad maius tuum obsequium, non solum quia mihi hæc bona sunt, sed præcipue quia cedunt ad maiorem tuam gloriam. *Intensè*, cum omni possibili filiali fiducia: *Constanter*, cum summa longanimitate & resignatione inter quæuis prospera & aduersa; cum insatiabili desiderio profundioris diffidentia propriæ, & perfectioris confidentia in te tota vita, in hora mortis, vsque dum beatè te possideam. Nec hoc solum meo, sed omnium viatorum,

torum,

torum, si possem affectu: quorum omnium uti & beatorum comprehensorum, maxime B. V. perfectissimos, olim in hac vita spei actus unquam elicitos, tibi offero. Utinam hos eodem multo eminentiori modo mecum elicerent, omnes mihi commissi, omnes pusillanimes.

II. Quomodo actus externi Spei, qui sunt, prædictos tres internos affectus verbo, & facto ipso demonstrare, perfecte queant exerceri, videlicet ex pura intentione, cum pia ad fundamenta spei reflexione, & interna filialis fiducia inuouatione, cum magna longanimitate & constantia, & heroicis desiderijs circa difficiliora obiecta fiduciam constanter exercendi. Quam eximie B. Virgo hos externos fiducia affectus re ipsa demonstrat, tota vita, maxime in desponsatione & anxietate Iosephi, ignari adhuc Incarnationis mysterij, in amissione duodennis filij, in nuptijs Canæ Galilee, tempore passionis, & triduo mortis, ob rationes puncto i. allatas. Hoc eximia fiducia speculum intueri & imitari statue, quavis oblata occasione, maxime tempore desolationis & aduersitatis, nunquam in spe vacillando, sed

sed certa cum fiducia in finem diuinæ
providentiæ, quæ vult, scit & potest,
prouit placet, confidentes in se iuuare,
recurrendo.

III. Incitamenta. 1. Quod spes in
Deum non fallat, nec confundat, sed
præsentissimum eius auxilium impe-
tret, teste Spiritu sancto. *Quoniam in
me sperauit liberabo eum. Et, In re spera-
uerunt Patres nostri, sperauerunt & libe-
rasti eos. In te Domine speraui, non con-
fundar in aeternum. Et, Respici te filij na-
tiones hominum, & scitote, quia nullus
speraui in Domino, & confusus est. Spes
non confundit.* 2. Quod spes perpetuam
læticiam & tranquillitatem, inuidiâq;
in aduersis animi robur suppeditet, &
sic verè sit galea nulli peruia ferro,
lorica nulli penetrabilis globo, an-
chora nulli obnoxia naufragio, iuxta
illud: *Latentur omnes qui sperant in eo.*
*Beati omnes qui confidunt in eo. Qui confi-
dunt in Domino sicut mons Sion, non com-
mouebitur in aeternum. In Domino sperans
non infirmabor.* Vnde rectè Theodore-
tus. *Gubernatorem habeas Deum & auri-
gam, & res tua, ab illa providentia pende-
ant, nam hoc modo inconcussus manebit &
immutabilis.* 3. Quod sperantes in Deo
quodammodo omnipotentes reddat,

Ps. 30.

Ps. 21.

Ps. 30.

Eccl. 2.

Rom. 5.

Ps. 4.

127.

Ps. 25.

D d d

v r

vt liberè & audacter dicere possint cū
Phil. 4. Apostolo : *Omnia possum in eo qui me*
Rom. 8. confortat. *Si Deus pro nobis, qui contra*
Iob. 17. nos. Et cū D. Iob : *Pone me iuxta te,*
& cuiusuis manus pugnet contra me! Cum
Marc. 9. 22 ipsa Veritas disertè asserat : *Si potes cre-*
Serm. 35. dere, *omnia possibilis sunt credenti.* in qua
in Cant. verba D. Bernardus : *Quidni omnia pos-*
sibilia sint innitenti super eum qui omnia
potest? Zelus proficiendi in filiali fi-
 ducia.

V. De Timoris Dei natura, conditionibus & fundamentis.

I. **E**Xpende quanti æstimandus sit
 Timor Dei, horrorem cuiusvis
 peccati homini incutiens, ne tempo-
 ralem aut æternam pœnam incurrat :
 ne hæreditatem promissam perdat, &
 ne offensam Creatoris incurrat. Qui
 quadruplex est, *Servilis; Mercenarius,*
Initialis, Filialis. Quorum vnus altero
 perfectior. *Servilis* horret pœnam à
 Deo peccatoribus constitutam, *Mer-*
cenarius amissionem expectatæ mer-
 cedis : *Initialis* partim offensionem
 Dei, partim pœnam, & mercedis ia-
 cturam. *Filialis* solam Dei offensionem,
 qui postremus perfectus est, proma-
 nans

nans ex perfecta charitate, longeque alijs præferendus. Quanto proinde studio ad huius casti. & filialis Timoris Dei fastigium illi erit contendendum, qui cætui electorum filiorum Dei, quorum hic timor est proprius, se sperat annumerandum? Quantum reputandum beneficium Spiritus huius sancti timoris Domini, qui super Christum, aliosque Electos requieuit, præ tot alijs filijs perditionis repleti? Gratitude pro dono Timoris Dei, & feruor in eo proficiendi.

II. Quas condiciones hic filialis Timor ad sui perfectionem requirat. 1. Vt *Purus sit*, seu vt ex corde puro procedens, in Deum, propter Deum infinito reuerentiali timore dignissimum tendat, atque à peccato deterreat, non ob horrorem pœnæ, nec ob spera mercedis, sed ob merum diuinæ offensæ. 2. Vt *Magnus sit*, quoad extensionem, intensiorem, durationem, seu vt impellat ad omnia, quæ Deo displicent, parua & magna sollicitè fugienda: atque ad omnia, quæ illi placeant, promptè amplectenda & perfectè exequenda: & quidem cum eximio zelo minimas etiam offensionculas diuinæ Maiestatis studiosè euitandi,

Eccl. 7.

omnesque eidem quam accuratissime gratificandi occasiones alacriter arripendi: idque tota vita cum indefatigabili studio, & infatigabili desiderio, iuxta illud: *Qui timer Dominum nihil negligit.* 3. Ut fortis sit, seu ut constans inuictusque inter quosuis mundi alligentis, carnis blandientis, diaboli seducenti perseveret insultus, ut vere de illo dici possit: *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Et: *qui timet*

Ps. 18.

Eccl. 24.

Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. Quam pretiosus talis timor Domini est thesaurus, quanto proinde studio querendus? Zelus eximij profectus in casto timore Domini.

III. Quæ sint fundamenta huius divini timoris, nimirum: *Quadruplex abyssus* 1. *In finita iustitia Dei* in vindicandis, vel in hac, vel in altera vita omnibus & singulis, magnis & parvis, occultis & manifestis singulorum hominum peccatis, nisi debita poenitentia & satisfactione expiantur. 2. *In cruciatibus iudiciorum Dei*, inspicientis omnes vias hominum, gressus & vestigia pedum di numerantis, coram quo iustitiae nostrae sæpe sunt sicut pannus menstruatus, ita ut nemo sciat, vtrum

amore

amore, an odio dignus sit. 3. *Ineffabiliū Eccl. 9.*

poenarum damni & sensus, quæ vel per
vnum lethale peccatum in momento
perpetratum tam temerè & facilè ab
insipientibus filijs Adæ incuriuntur.

4. *Incomprehensibilis Maiestatis & excel-* *Psalm. 2.*

lentiæ Dei, quæ omnes perfectiones,
ob quas creaturis solet timor, reue-
rentia, veneratio & submissio exhibe-
ri, vt sunt *potentia, sapientia, magnificen-*

tia, eminentissimè in se continet. Quis
has abyssos intuens, non satagat serui-
re Domino in timore, & exultare ei

cum tremore, secum illud D. Iobi re- *Iob. 4.*

putans, profundeque perscrutans:

Nunquid homo, Dei comparatione iustifi-

cabitur? Ecce qui seruiunt ei, non sunt sta-

biles, & in Angelis suis reperit prauitatē,

quanto magis hi, qui habitant domos lute-

as, qui terrenum habent fundamentum, *Iob. 15.*

consumuntur quasi à tineis? & Ecce inter

sanctos eius nemo immutabilis, & coeli non

sunt mundi in conspectu eius: quanto

magis abominabilis & inuti-

lus homo, qui bibit qua-

si aquam ini-

quitatem?

(?)

Da

De actibus Timoris Dei, & incitamenti.

I. **E**Xpende quinam sint actus interni Timoris Dei, & quomodo exercendi, quorū hi præcipui: 1. Deo tanquam vniuersali, potentissimo, iustissimo & absolutissimo Domino per intimam reuerentiam profundissime se submittere, eius infinitam potentiam, iustitiam, Maiestatem humiliter agnoscendo, reuerenter suspiciendo, filialiter metuendo, 2. Instar mancipij, mercenarij, filij velle diuinae Maiestatis nutui in omnibus obsecundare, pœnarum temporalium, aut æternarum inflictionem, præmiorum gratiæ & gloriæ subtractionem, aut suspensionem, & quamuis amabilissimi Patris offensionem metuendo, 3. Velle & proponere ex motiuo huius Timoris maximè filialis, cautè summa cum reuerentia, in conspectu Dei omnia intuentis, tam iusti, potentis, amabilis ambulare, minimas etiam transgressiones & defectus sollicitè cauendo, & commissos, statim expiando, & per omnia ipi placere indefesso maioris perfectionis studio conan-

conando. Quàm *perfectè* hi affectus timoris maximè filialis possent exerceri exemplo B. V. & Sanctorum in hoc casto timore Dei excellentium? quam *late* omnes & singuli, quoad omnia obiecta, quam *pure* quoad intentionem solius offensæ Dei, ex amore & timore filiali cauendæ, quam *intense* quoad intensiorem affectuum submissionis, reuerentiæ, & timoris tantæ Maiestati debiti: *constanter* nunc, semper, tota vita, inter qualuis prosperitates & aduersitates: *insatiabiliter* quoad desideria supra vires. His *expensis* eodem modo *insinuato excita*, per plura vel pauciora suspiria.

II. Quomodo actus externi Timoris, qui sunt prædictos internos affectus re ipsa exprimere, possint *perfectè* frequentari: videlicet Deum ubiq; præsentem reuerendo, *circumspectè* que coram ipso ambulando, eius offensam quamuis cauendo, & serio omnimodè perfectioni studendo. 1. Cum *attenta & pia* ruminatiõne prædictorum fundamentorum Timoris Dei. 2. Cum *pia* interiorum affectuum eiusdem Timoris instauratiõne. 3. Cum *debita* omnium mentis & corporis virium, in externis hisce

D d d

diuini

diuini Timoris actibus exercendis applicatione. Quam perfectè hos internos externosque casti Timoris Dei actus coniunxerit, & frequentarit B. Virgo, quæ tam profunde fundamenta sancti huius Timoris penetravit: tantoperè vel minimam diuinæ Maiestatis offensam exhorruit: tanto zelo eiusdem gloriæ promouendæ, & voluntatis adimplendæ flagrauit: Zelus exemplo B. V. externos hos Timoris Dei actus perfectè frequentandi.

III. Incitamenta, quorum 1. fit, *Quod Timor Dei sit initium verae conuersionis à statu peccati ad vitam gratiæ, & à statu tepiditatis ad feruens studium perfectionis. Qui timet Deum conuertetur ad eorum suum. Et, Qui timet Deum faciet bona. Et: Qui timent Dominum, inquirent quæ placita sunt ei.* Vnde D. Augustinus in sententijs: *Ad omne opus bonum ducit amor & timor Dei, ad omne peccatum ducit amor & timor mundi.* 2. Quod magnam afferat migraturo ex hac vita fiducia.

Eccl. 1. Timenti Dominum benè erit in extremis, Prou. 23. Et in diebus consummationis illius benedicetur. In timore Domini esto tota vita, quia habebis spem in nouissimo. Et praesolatio tua non auferetur. 3. Quod & in hac & in altera vita parlat verū cordis gaudium.

Timor

*Timor Domini gloria & gloriatio, & lati- Eccl. 1.
tia, & corona exultationis. Timor Domi-
ni delectabit cor, & dabit letitiam & gas-
cium, & longitudinem dierum. Quisquis
ergo feruenter ad Deum conuerti, fi-
ducialiter mori, æternum cum Electis
omnibus lætari desiderat, in casto ti-
more Domini proficere quotidie stu-
deat. Feruor proficiendi in casto Ti-
more Dei.*

*De Charitatis erga Deum præeminen- VII.
tia & proprietatibus.*

I. **E**Xpendens quàm excellens diui-
næ liberalitatis donum sit Cha-
ritas; quæ est: *Virtus diuinitus infusa in-
clinans nos ad Deum ut summum bonum
per se & in seipso summè propter seipsum di-
ligendum, quem fides nobis velut per specu-
lum & in enigmate proponit cognoscendū,
spes ut summum bonum nostrum deside-
randum.* Quam meritò hæc prima in-
ter Theologicas Virtutes, & fructus
Spiritus ab Apostolo numeretur, pas- 2. Cor. 13.
simq; tanquam Regina, mater, custos
virtutum, radix meritorum, nota filio-
rum Dei, vestis nuptialis, arrha cœle-
stis beatitudinis celebretur; ac proin-
de quam profunda animi submissione,
Ddd 5 hoc

hoc tam singulare & gratuitum tibi
pre tot alijs, charisma communicatum
sit agnoscendum; quam sincera gratæ
mentis testificatione acceptandum,
quam ardenti mutua dilectione com-
pensandum? Gratitude pro dono cha-
ritatis gratis infusæ.

II. Qualis esse debeat, ut Deo perfe-
1. Tim. 1. Atè placeat, videlicet, *Pura, Magna, For-
tis.* *Pura* erit, si ex corde puro & con-
scientia bona, & à grauioribus noxis
immuni procedat, rectà in Deum ut
obiectum suum tendat, eumque
propter seipsum infinitè in se bonum
& amabilem amore amoris ipsius, non
spe præmij, nec metu supplicij diligat.
Magna erit, 1. quoad extensionem, si
non solum in Deum, sed etiam in
omne id, quod amat Deus, feratur.
2. Quoad intensionem, si omni possi-
bili conatu intellectus voluntatis, o-
mniumque virium mentis & corporis
exerceatur. 3. Quoad durationem, si
in hac vita semper saltem virtualiter
continuetur, in æternum actualiter
continuari optetur. 4. Quoad infatig-
abilitatē, si quoad nūmerum, multitu-
dinem, & varietatem actuum amoris,
quoad modum perfectius amandi, &
quo.

quoad tempus diutius actus amoris
 continuandi nunquam satietur. *Fortis*
 demum erit 1. si animum diligentis o-
 mnino ordinato erga res creatas omnes
 affectu exuat. 2. Si proprio iudicio &
 voluntate insuper exspoliet, diuinoq; *2*
 iudicio & beneplacito semper & in o-
 mnibus conformet. 3. Si nec prosperis,
 nec aduersis, nec tormentis ullis, nec
 morte ipsa se debilitari, multò minus
 superari sinat. O quàm rara in mundo,
 sed & quàm cara cœlo talis charitas!
 quàm verè illi conuenit illud cœlestis
 Sponsi elogium: *Fortis ut mors dilectio,*
dura sicut infernus amulatio. Lampades *Cant. 8.*
eius lampades ignis atq; flammarū. Aqua
multa non poterunt extinguere charitatem,
nec flumina obruent illam. Si dederit h. mo-
omnē substantiam domus sue pro dilectione,
quasi nihil despiciet eam. Quàm meritò
 proinde ad apicē huius dilectionis per-
 actus internos externosq; aspirandum,
 prout petit idem cœlestis Sponsus: *Co-*
ne me ut signaculum super cor tuum, ut
signaculum super brachium tuum? Feruor
 contendendi ad fastigium perfectæ
 charitatis, qui hic prolixius poterit
 exerceri, desiderando Deum, & quic-
 quid ille amat, tam purò, intensè, & for-
 titer amare, prout hic insinuat.

D d d 6

III. Quàm

III Quam eminenter has perfectæ dilectionis condiciones habuerit charitas B. Virginis. 1. Quod eundem frequentatis tota vita actibus ex tota latitudine habitus eliciris, quotidie intenderit. 3. quod remotis amoris proprii, aliisque impedimentis, perfectæ charitatis immunis fuerit. Huius proinde perfectam charitatem admirare & æmulare.

VIII.

De gradibus charitatis, & medijs eam consequendi.

I. **E**Xpende, qui sint gradus charitatis, quorum præcipui sunt hi triplices; *Quoad Extensionem ad obiecta, Intensionem graduum, & Intensionem motuum.* Quorum semper duo priores imperfecti, tertius perfectus. Ratione extensionis ad obiecta, 1. gradus est amare Deum, & quæ Deus amat, super omnia appetiariuè in ijs ad quæ obligamur sub peccato mortali. 2. in ijs, ad quæ astringimur sub culpa veniali. 3. in omnibus, quæ Deo placent, quamuis nulla omnino intercedat obligatio. Ratione *Intensionis* graduum primus est facile amare Deum, & quicquid Deus amat,

amat, tempore consolationis, pacis & prosperitatis, non autem tempore desolationis, tentationis, tribulationis.

2. Amare Deum etiam ingruentibus desolationum, tentationum, aduersitatum procellis, non tamen absq; graui difficultate & lucta. 3. Amare insuper tam in summa aduersitate, quàm in summa prosperitate constanter cum alacritate & gaudio. Ratione *Intentionis* 1. est, amare Deum iustum & potentem timore suppliciorum. 2. Amare eum vt benignum, misericordem, & liberalem spe præmiorum. 3. Amare eundem, vt infinitè bonum, perfectum, & amabilem in se propter seipsum. Vis ergo ad supremum charitatis conuerti fastigium, conare Deum & omnia, quæ Deo placent amare intensè, super omnia possibili perfectione, quoad intellectum, affectum, executionem, cum alacritate & gaudio, gratis propter seipsum. Desiderium iuxta hunc supremum gradum perfectè Deum diligendi, hic prolixius exercendum.

II. Quæ media sint ad hunc gradum pertingendi, Quorum 1. sit, vehemens, efficax, & constans desiderium in hac perfecta dilectione Dei quotidie.

die proficiendi, quod in meditationibus subinde vehementius inflammandum, crebrisque per diem suspirijs renouandum. 2. Crebra & affectuosa gratiæ ad continuum charitatis incrementum acquirendum necessariæ imploratio. 3. Seria & deuota actuum amoris Dei, tam interiorum quam exteriorum frequentatio. Quam hæc media singula sunt suauia & efficacia, supremū huius virtutis cacumen conscendendi? Quam Deo gratus, nobisque meritorius conatus in his medijs adhibendis impensus? Desiderium hoc propositumque excitandum his medijs strenuè vtendi.

III. Quanto ardore B. Virgo alijque Sancti ad hunc supremum charitatis apicem aspirarint, quanto studio contenderint, quanta sollicitudine & constantia prædicta media tota vita vsurparint, & quam eximio charitatis, meriti, gratiæ, gloriæ incremento. Feruor imitandi.

IX. *De Fundamentis perfecti amoris Dei.*

I. **E**Xpende primum ac præcipuum perfectè Deum super omnia diligendi fundamentum, quod est: *SUMMA*

ma bonitas & amabilitas Dei in se, per se,
& propter se. cuius magnitudo secundum quatuor dimensiones potest pro modulo nostro inuestigari; Nam quoad *latitudinem* immensa est, continens in se eminentissimè omnes rationes boni per se, & amabilis propter se: quoad *sublimitatem* infinita est, longè excedens omnem creatam, & creari possibilem bonitatem & amabilitatem: quoad *durationem* æterna est, semper sibi similis, omnis profectus & defectus nescia: quoad *profunditatem* incomprehensibilis, quæ a nulla creatura, sed à solo Creatore possit comprehendere. Quàm profundè hanc inuestigabilem infinitæ bonitatis & amabilitatis Dei abyssum B. Virgo penetrarit, seque claro eius intuitu ad eandem ardentius amandam excitarit? quanto profundius eandem Christus infusa scientia & visione beata penetrarit, quanto eminentius amarit? Hæc suspiciens in affectus amoris in sequenti meditatione assignatos, quam potes, perfectissimos prorumpe, eosque supereminentissimis Christi Domini, & B. Matris eius amoris excessibus unitos diuinæ Maiestati offer.

II. Al.

II. Alterum fundamentum, quod est *Infinitus amor Dei erga nos*, simili modo expende, & qualem iure suo in vicem à nobis exigat amorem: cum ergo ille sit *immensus* ad omnes omnino homines visceribus suis complectendos, ad omnia bona naturæ, gratiæ, gloriæ illis conferenda se extendens; *Infinitus*, qui intendi nequeat neque remitti; *Interminabilis*, nullis temporum limitibus circumscriptus; *insatiabilis* demum & *incomprehensibilis*, exhaustiriq; nescius, omniq; creato intellectu imperuius: an non æquum foret, ut amor noster erga Deum sit aliqua saltem ratione illi proportionatus, ut sit, inquam, pro suo modulo *immensus*, seu *latus* ad omnia quæ Deus amat se extendens; summè *intensus* & *sublimis*, quoad intensiorem gradum & puritatem intentionis, *æuiternus* saltem virtualiter, seu durans ex nunc, semper, & in omne æuum; *insatiabilis* demum quoad heroica semper perfectius amandi desideria? Quam similis fuerit amor B. V. huic infinite perfecto amoris Dei? quanto adhuc similior creatus & infusus amor Christi Domini? Desiderium tali perfecto amore mutuo infinitum amorem, aliquo saltem

tem modo compensandi hic subijciendum.

III. Simili ratione expende fundamentum tertium, quod est, *infinita beneficentia & liberalitas Dei*, in tot beneficijs (quæ omnia sunt eximij amoris erga nos luculenta monumenta) nobis exhibitis, & porro exhibendis, quæ similiter est *immensa* ad omnes homines, atque ad omnia dona naturæ, gratiæ, gloriæ, quæ singulis conferre ab æterno voluit, in tempore contulit, nunc confert, æternumque conferet, se extendens; *infinita* omnem creaturæ possibilem beneficentiam longissimè excedens, ab æterno in æternum erga electos perseverans, *incomprehensibilis & inuestigabilis*. An non tanta beneficentia & liberalitas simili saltem benevolentia & dilectione, cum re ipsa non possit, meritò foret compensanda. Quam eminenter id præstiterit B. Virgo, quanto eminentius benedictus eius Filius *immense*, summè *intenso*, *perenni*, *insatiabili* benevolentia, & dilectionis affectu, & simili desiderio infinitam Dei beneficentiam compensandi. His expensis simile desiderium excita.

De

X. De internis amoris Dei actibus perfecte eliciendis.

I. **E**Xpende quinam sint præcipui actus interni amoris, & quam singuli in se eximij, Deo grati, nobis meritorij, cuiusmodi sunt 1. *Quoad intellectum* medullitus velle & favere Deo. omne suum bonum intrinsecum, quod sit Deus infinite in se perfectus, infinite beatus, infinite amabilis, desiderabilis, laudabilis, omne item bonum eius extrinsecum, quod cognoscatur, adoretur, ametur, omni genere obsequiorum glorificetur à creaturis; deum omne id, quod Deus magnæ estimat, & amat in cælo & in terra.

2. Omnia divina iudicia, decreta, opera, permissiones quoad nos, omnes & omnia *intellectu* reuereri, approbare, collaudare; *voluntate* acceptare, amplecti, exosculari. 3. Velle, desiderare, ac proponere exequi sanctissimam Dei voluntatem in omnibus præceptis, consilijs, legibus, & regulis cuiusque proprijs, sanctisque inspirationibus promptè adimplendis. Quanta cum gloria Dei, & augmento meriti hos actus frequentare posses, si tot inter-
nis stimulis, quos toties sentis, obsequi,

qui, totque auxilijs gratiæ, quibus abundas, strenuè cooperari velles? Feruor frequentandi hos amoris affectus.

II. Quomodo hi actus cum eximia perfectione & merito possint exerceri; videlicet i. *amplissimè* circa omnia objecta, magni æstimando, amando, volendo, optando, desiderando Deo omnia, quæ ipse magni æstimat & amat; amplectendo, & exequi desiderando omne eius in omnibus beneplacitum: *purissimè* quoad intentionem, ipsius vnius honoris, amoris, beneplaciti, absque vilo intuitu supplicij, aut præmij: *intensissimè*, omni possibili beneuolentiæ, amoris, zeli gloriæ eius excessu: *constantissimè*, inter quascunq; rerum & temporum vicissitudines, nunc, semper, æternum & ultra: *insatiabilissimè*, cum inexplebili desiderio perfectius in infinitum longè supra vires creaturæ Creatorem diligendi. Quam facile cū diuina gratia hi actus amoris per se tam meritorij, mulro cum maiori meritorum incremento possent prædicto modo subinde, maxime in meditatione prolixius elici, & breuius interdum frequentari? His expensis vel omnes prædictos, vel aliquos amoris actus

actus elice, iuxta paradigma in Ind. meditat. c. 7. §. 4. assignatum.

III. Quam sublimiter B. Virgo inefabili amoris Dei actu flagrantissima, hos similesque amoris affectus modo insinuato, amplissimos, purissimos, intensissimos, constantissimos, insatiabilissimos totâ vitâ multiplicarit: quanto porrò adhuc sublimius Christus Dominus perenni inestimabilis erga Patrem amoris incendio æstuans eisdem à primo conceptionis instanti vsque ad supremum vitæ halitum continuerit! prout latius id explicatur, 1. p. med. hebdom. 2. post Epiph. med. 6. & 7. Renouatio eorundem affectuum amoris subnectenda.

IX. *De externis actibus amoris perfectè exercendis.*

I. **E**Xpende quinam sint præcipua externi actus amoris Dei, & quanti singuli apud Deum pretij & meriti, quales sunt hi triplices, 1. Sublimes supradictos intellectus de Deo, eius attributis, omnibusque eius gloriâ concernentibus sensus, piosque voluntatis affectus publicè priuatimque verbis & factis testari, omnibusque similes perfecti amoris sensus incul-

can.

cando, indefesso conatu diuinæ boni-
tatis & amabilitatis cognitionē, amo-
rem, cultumque quauis oblata occa-
sione latius propagare procurando;
assiduo studio eximie perfectionis in
se alijsq; promouendæ ad vnicam Dei
gloriam augendâ collimando. 2. Ver-
bis similiter & factis demonstrare, se
reuerenter approbare, laudare, prom-
ptèque acceptare, & amplecti, quic-
quid diuina prouidentia circa se, om-
nes, & omnia statuerit, disposuerit,
permiserit, quoad animam, corpus, fa-
mam, bona fortunæ. 3. Reipsa adim-
plere conari sanctissimam eius volun-
tatem, accurata obseruatione omnium
præceptorum, consiliorum, regularū,
diuinarum inspirationum, sollicita e-
uitatione & expiatione minimarum
præuaricationum, indefesso studio
proficiendi indies in omnimoda per-
fectione, atque omnia quæ facit & pa-
titur, faciendi & patiendi, ex pura di-
uini amoris, honoris, beneplaciti in-
tentione. Quot occasiones hos actus
frequentandi tibi quotidie offert di-
uina bonitas! quot vberioris gratiæ
præsidia suppeditat? quot calcaria ad-
mouet? an non tandem tempus tor-
porem excutiendi? Desiderium hos
actus

actus

actus frequentandi hic prolixius efficiendum.

II. Qua ratione perfectè & meritorie hi triplices actus possint frequentari, Nimirum si exercentur 1. cum debita aduertentia intellectus, suauiter subindè fundamenta & incitamenta amoris Dei ruminando, sicq; voluntatem, & per eam alias potentias ad vehementius amandum, & re ipsa amorem exhibendum excitando. 2. Cum inflammato voluntatis affectu internos amoris actus cum heroicis desiderijs vires excedentibus discretè externis interferendo. 3. Cum seria applicatione virium mentis & corporis, opera externa amoris Dei, tam elicità ab ipso, quàm imperata, vt sunt omnia alia opera bona, & indifferentia ex motiuo amoris Dei facta, conando exactè quoad omnes circumstantias peragere. 4. Demum cum crebra renouatione puræ intentionis, nihil in his aliud spectando, quam vnicum Dei honorè, beneplacitum & obsequium. Si cum prædicta perfectione hos actus amoris vel vnicò die, vel hebdomada sedulò frequentares, quantum meritorum cumulum cõgregares! quanto maiorem, si id multis annis, tota vita

continuares ! Desiderium cum hac perfectione amoris frequentandi hic protrahendum more consueto cum propositis practicis.

III. Quam perfectè B. Virgo prædicto modo actus externos amoris exercuetit, imò omnia sua opera etiam ex se indifferentia ex motiuo perfectæ charitatis peregerit; tantò vtique perfectius, quantò eius intellectus erat illuminator, affectus inflammator, habitus charitatis intensior: quo ipsa deinde à fomite peccati; à remoris amoris proprij erat immunior, in omni virtute solidior, Deo coniunctior ! quanto tandem interuallo in his operibus charitatis perfectissimè tota vita continuandis superarit benedictam Matrem benedictissimus Filius, ob similes rationes in ipso longè sublimiores ! Desiderium in his B. V. & Christum ipsum imitandi subnectendum.

De Incitamentis amoris Dei.

XII.

I. **E**Xpende præcipua aliqua ad assiduum perfecti amoris Dei exercitium incitamenta, quorum primum sit, *Quod sit optimum medium infinitam Dei erga nos dilectionem, benignitatem & liberalitatem modo quo nos possumus præstan-*

stantissimo compensandi. Cum per illud summum quod possumus bonum illi velimus, faucamus, optemus; nos ipsos quoad intellectū & affectum in ipsum transformemus; omne quod illi placeat, amore eius amplectamur, & exequimur; nec ipse aliud quarat tam ardentem nos amando, tam luculentam amoris signa nobis exhibendo, quam ut amantem redamemus, & amorem re ipsa testemur. Quid amanti Deum & infinitas penè eundem redamandi obligationes cognoscenti optarius esse posset, quam in promptu habere tam expeditam rationem tam profusæ Dei liberalitati & dilectioni satisfaciendi? Quoties se B. Virgo & alij Sancti hoc motivo ad vehementius Deum amandum extimularint, idque tanto ardentius, quo clarius inestimabiles diuinæ benignitatis, charitatis, liberalitatis diuitias sibi tam profusè communicatas agnouerunt! Feruor proficiendi in assiduo exercitio amoris Dei.

II. Quod sit efficacissimum medium, immensa peccatorum, ingratorum, pœnarum restantium debita expedite dissoluendi, & ingentes meritorum thesauros breui colligendi. Nam per

her
cr
cess
ran
plic
illu
mu
lac
cate
san
qui
lati
fite
per
rib
citi
qu
run
ma
vit
ine
ctu
gra
plu
tis
Vi
II
fit
tia
sec

heroicos charitatis actus supposita sacramentali confessione, aut in casu necessitatis vera contritione, grauissimorum scelerum & intolerabilium suppliciorum remissio impetratur, iuxta illud Christi: *Remittuntur illi peccata* Luc. 7.
multa, quia dilexit multum. Et illud D.

Iacobi: *Charitas operit multitudinem peccatorum,* & immensum quodammodo sanctificantis gratiæ augmentum acquiritur, cum per actus amoris ex tota latitudine habitus elicitos, ante acquisitus charitatis & gratiæ gradus semper in duplum augeatur; Quod si pluribus annis hoc perfecti amoris exercitium prædicto modo continuetur, quam incomparabiles tandem meritorum acerui colligentur? quam inestimabili cum gratiæ incremento id totâ vitâ continuauit B. Virgo, quam proinde probabile est ultimo charitatis actu ex tota latitudine habitus elicito gratiam tota vita acquisitam in duplum auxisse? Feruor actus charitatis perfectè frequentandi exemplo B. Virginis.

III. Quod demum præstantissimum sit medium, ad optatum perseuerantiæ donū, & eximium gloriæ brauium securè pertingendi. Quid enim ille

E e e

sub

sub finem vitæ timeat ne deseratur a Deo, quem tota vita amavit, cum quo vnus spiritus fuit? paueat qui nõ amat. Et cur non meritò amplum gloriæ expectet brauium, qui tot actibus charitatis tota vita frequentatis conatus fuit continuum gratiæ, quod est semen gloriæ in dies & horas acquirere incrementum? Quanto cum gaudio B. Virgo alijque Sancti charitate feruentiores id in fine vitæ experti fuerint, æternumque experiantur? Vriam & nos experiamur. Affectus ijdem.

XIII. *De Natura, Proprietatibus, & Incitamenti gaudij spiritualis.*

I. **E**Xpende in quo consistat exercitium gaudij spiritualis, videlicet vt gaudeamus 1. de omnibus bonis Dei intrinsecis, vt de eius infinita essentia, perfectione, beatitudine, amabilitate; & de bonis extrinsecis, vt de omni laude, gratiarum actione, cultu, obsequio, gloria ipsi à creaturis vnam reddita, reddenda, & possibili reddi. 2. De omnibus bonis naturæ, gratiæ, gloriæ nobis, proximisque nostris tam comprehensoribus: quam

via-

viatoribus vnquam communicatis, & communicandis, quatenus ad maiorē Dei gloriam cedunt. 3. De omni beneplacito Dei circa nos, omnes & omnia ordinantis, permittentis, præcipientis, quæ vult, sicut vult, quando vult, pro sua infinita sapientia. Quam excellens hic sit charitatis erga Deum actus, quo cum exultatione gratulamur & fauemus illi bona omnia quæ habet; optamus & procurare desideramus quæ non habet; ac proinde quanto, cum merito posset frequentari exemplo B. Virginis & Sanctorum, qui hoc exercitium inchoatū in via, nunc beatè continuant in patria. Affectus gaudij hic insinuatus eliciendus.

II. Quale debeat esse hoc gaudium, vt sit Deo gratius nobisque fructuosius. 1. *Purum* sit oportet quoad intentionē, honoris, amoris, & beneplaciti Dei, non nostri temporalis aut æterni emolumenti, quod insinuat Apostolus, inquiens: *Gaudete in Domino semper, iterū dico gaudere.* Et Psalmista: *Lætamini in Domino & exultate iusti.* 2. *Magnum* quoad extensionem ad omnia prædicta obiecta; quoad intensiōnem graduum excedens longè omne humanum de bonis caducis gaudium;

Phil. 4.

Psal. 31.

Ecce 2

quoad

Quoad durationem *continuum*; & quoad desideria *auiternum*. 3. Fortè & *constans*, inconcussum inter læta & tristia perseuerans. In quam excellenti gradu hoc tam perfectum gaudium habuerit B. Virgo, in quanto porò excellentiori Christus Dominus ob tam claram Dei, diuinorumq; attributorum, beneficiorum sibi Electisq; collatorum & conferendorum, iustissimorum iudiciorum ac decretorum intuitionem: ob tam intensum eiusdem Dei infinitè boni, perfecti, amabilis amorem, ob tam ardentem eius gloriæ promouendæ, & beneplaciti complendi zelum? Zelus ad hunc eximium perfecti gaudij spiritualis gradum contendendi.

III. Incitamenta, quorum 1. sit, quod Deus id vnice à nobis exigit, toties id nobis in Scripturis inculcans:

Pf. 99. & 104. Seruite Domino in lætitia. Lætetur cor quarentium Dominum. In omni dato hilarem

Eccl. 25. fac vultum tuum. Hilarem datorem diligit Deus. 2. Quod suauè sit medium præcauendi, eludendi & superandi varias tentationes, quas dæmones maxime ingruente iustitiæ nocte ingerunt,

Iob. 40. vt insinuatur apud D. Iob, vbi dæmon dicitur habitare sub umbra. Et apud

Psal. 103. Psalmistam: Posuit tenebras, & facta est
nox,

nox; in ipsa pertransibunt omnes bestia syl-
ua. 3. Quod in operibus arduis & la-
boriosis faciendis minuat laborem &
tædium, & in iisdem hilari animo fa-
ctis duplicet meritum, augeat præmi-
um, mireque insuper ædificet proxi-
mum, cum inhabitantis gratiæ Spiri-
tus sancti sit maximum signum. Quan-
to ergo desiderio anhelandum, quan-
to studio ad hoc spirituale mentis gau-
dium connitendum, quod Deus tam
ardenter desiderat, quod nobis, proxi-
misque tanta bona conciliat! Zelus
proficiendi in hoc sancto gaudio.

*De actibus & medijs gaudij spi-
ritualis.*

XIV.

I. **E**Xpende quinam sint præcipui,
& quomodo perfectè exercendi
actus interni gaudij spiritualis, qua-
les sunt 1. Gaudere de incomprehen-
sibili Dei vnus in essentia, trini in
personis excellentia & Maiestate, de
perfectionibus eius, infinite perfectis,
immenitate, æternitate, infinitate,
potentia, sapientia, bonitate, iustitia,
misericordia, quæ re idem cum ipso
sunt; de inæstimabili eius beatitudine,
qua se infinite comprehendit, amat,
E e e 3 seipso

seipso fruitur; de infinita amabilitate & gloria, quod à nullis creaturis possit dignè amari & glorificari: hæc omnia illi cum exultatione fauendo, & si per impossibile non haberet, optando: de omni insuper laude, gloria, omnibusq; obsequijs à sanctissima Christi humanitate, B. Virgine, omnibus Sanctis ipsi exhibitis, exhibendis, & exhiberi possibilibus: hæc similiter illi fauendo, & plura & maiora ipsi optando, & pro virili procurare desiderando. 2. Gaudere de omnibus prerogatiuis naturæ, gratiæ, gloriæ sanctissimæ humanitati Christi, B. eius Matri, beatis comprehensoribus, prædestinatis viatoribus omnibus, & nobis vnquam collatis & conferendis, & de omni gloria inde in Deum redundante, & porrò redundatura: hæc similiter cum exultatione illis charissimata, Deo gloriam & obsequia ab ipsdem præstita cum exultatione fauendo, & ampliora exoptando. 3. Similiter gaudere de omnibus iustissimis diuinæ prouidentia circa nos, omnes, & omnia, iudicij, decretis, ordinationibus & permissionibus quibuscumque, & cum gaudio velle desiderare ac proponere in omnibus præceptis,

ceptis, consilijs, inspirationibus eius sanctissimam adimplere voluntatem. Quanto cum merito hi gaudij affectus possint elici circa omnia prædicta obiecta, ex *sincera* intentione honoris & obsequij Dei: summè *intenso* benevolentia, amoris, zeli gloriae eius, imò omni possibili affectu: *Constantissimè* in omni rerum & temporum vicissitudine, in tempore & æternitate: cum *insatiabili* demum desiderio perfectius hos affectus frequentandi in æternum & ultra. Quàm præclare eos B. Virgo, & Christus ipse tota vita continuârit, & nunc cum Beatis omnibus continent æternum? His consideratis elice prolixius hos modo prædicto affectus.

II. Quinam actus externi sint huius gaudij, & quomodo exercendi. 1. Verbo, vultu, facto ipso hos internos gaudij de bonis Dei, de bonis nobis, proximisque à Deo collatis & conferendis, & de omni diuinò beneplacito affectus pro re nata demonstrare. 2. Omnes diuinam gloriam propagandi, propriam proximorumque perfectionem, gratiam, gloriamque augendi occasiones promptè hilariterque quarere & acceptare, omnes ad hunc

hæc 4

finem

finem labores, & molestias subeundas
 vltiò appetere. 3. Gaudenter omnia
 tam aduersa quàm prospera de manu
 Dei acceptare, in omnibus diuine eius
 prouidentia acquiescere, re ipsa diui-
 nae voluntati in omnibus, quæ ipsi gra-
 ta esse cognoscuntur cum lætitia ob-
 temperare, nulla re aduersa tristari ex-
 cepta culpa, & de hac ipsa non inordi-
 natè, sed cum spe veniæ & emenda-
 tionis, illa sa mentis lætitia. Hi actus
 quanto quoq; cum merito possint v-
 surpari, si cum sancto illo cordis gau-
 dio, cum pura intentione diuinæ glo-
 riæ, & inexplebili Deo perfectius pla-
 cendi, & in omnibus promptè gratifi-
 candi desiderio exerceantur, exemplo
 Christi, B. Virginis & Sanctorum Deo
 in lætitia exactè seruientium. Zelus
 hos externos gaudij actus perfectè
 frequentandi.

III Media ad hoc optatum cordis
 gaudium pertingendi, quorum sit:
 Conari remouere omnia impedin-
 ta spiritualis lætitiæ, & radices tristi-
 tiæ, vti sunt: incuria & negligentia in
 cauendis peccatis, & defectibus ma-
 gis voluntarijs, in extirpandis viriosis
 habitibus, in mortificandis passioni-
 bus & inordinatis affectionibus erga
 crea-

creaturas. vbi enim non est conscientia puritas, non potest esse vera mentis serenitas, iuxta illud Isaia: *Impij Isa. 57. quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum, non est pax impijs, dicit Dominus.* Et illud Apostoli: *Tribulatio Rom. 2. & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* 2. Assiduum studium in soliditate virtutum & omnimoda perfectione serio proficiendi. quod insinuat Psalmista: *Pax multa diligentibus Psal. 118. legem tuam.* Et Apostolus: *Gloria & honor, Rom. 2. & pax omni operanti bono.* Et D. Bernardus: *Vis nunquam esse tristis bene viue. Na De int. bona vita semper gaudium habet.* 3. Feruens conatus proficiendi in sapida cognitione Dei, diuinorum attributorum, beneficiorum, praemiorum, promissionum: in perfecta dilectione Dei, & resignatione sui ad nutum eius diuini beneplaciti. His medijs constanter vti est maximum compendium ad verum cordis gaudium. Feruor haec media feruenter adhibendi.

De Natura, conditionibus, & gradibus perfecta resignationis. XV.

- I. **E**xpende in quo consistat exercitium absolutae resignationis, seu

voluntatis nostræ cum diuina conformationis, nimirum in eo, vt quis se absolute in manus diuinæ providentiæ semper & in omnibus resignet, omnia tam læta quàm tristia, tam ardua quàm facilia, tam aduersa quàm prospera, tam acerba quam iucunda de paterna eiusdem manu promptè acceptet: in omnibus, quæ per se vel alios præcipit, quæ immittit, vel permittit, quæ ordinat circa nos, omnes & omnia diuino eius beneplacito, quoad intellectum, affectum, & executionem penitus acquiescat. Quàm merito hoc exercitium passim audiat, ac verè sit omnis perfectionis summarium, cum ad illud requiratur, eximia mentis puritas, non mediocris præcipuarum virtutum soliditas, & eximia erga Deum, & quicquid Deus amat, Charitas: quanta proinde sollicitudine in illud, veluti principale ad culmen perfectionis pertingendi medium foret incumbendum? Feruor feridè vsurpandi hoc exercitium resignationis.

VI. Quibus conditionibus affecta esse debeat hæc resignatio, vt omnibus numeris sit absoluta. 1. *Recta* seu pura sit oportet quoad intentionem vnius amo-

amoris & beneplaciti Dei. 2. *Magna* secundum omnem dimensionem, *Magna* quoad latitudinem, extendens se ad omnia, quæ sub obedientiam cadunt, ad omnia quæ vndecunque patienda obveniunt: ad omnia denique, quæ diuisionem donorum naturæ, gratiæ, gloriæ factam aut deinceps à diuina Sapiencia faciendam, concernunt: *Magna* quoad longitudinem, perdurans tota vita, in hora mortis, æternum: *Magna* quoad sublimitatem, seu intensiorem graduum, tum ipsius resignationis, eximiæ reuerentiæ, fiduciæ, amoris, zeli gloriæ Dei, sine quibus illa perfectè exerceri non potest: *Magna* demum quoad profunditatem, seu quoad insatiabile desiderium in pluribus magisque arduis purius, intensius, se resignandi, & quoad profundissimam abnegationem non solum omnis sensualitatis, sed & propriæ voluntatis iudicij. *Fortis* demum & *Constantis* inter omnes difficultates occurrentes, inter quasuis tentationum & desolationum nebulas, inter omnes aduersitatum, molestiarum, cruciatuum procellas immobilis perseuerans. Quàm perfecta fuerit quoad

omnes has conditiones resignatio B. Virginis Deiparæ: quanto perfectior ipsius Christi Domini absolutissimi huius, vti & omnis perfectionis exemplaris? quam imperfecta tua, quam huic exemplari dissimilis? Zelus in perfecta hac resignatione proficiendi.

III. Qui & quales gradus sint huius resignationis, nimirum hi potissimum tres, quorum vnus semper altero perfectior est: 1. Resignare se & conformare diuinę voluntati in omnibus obligatorijs sub peccato graui, tempore pacis & consolationis patienter, idque potissimum ob timorem pænæ, & nõ absque magna & anticipati luctu. 2. Resignare se in omnibus obligatorijs sub leuiori culpa, aut periculo lapsus, etiã tempore belli & desolationis libenter ob spem mercedis, cum nonnulla, sed non graui difficultate. 3. Resignare se in omnibus etiam nullo modo obligatorijs, tempore summę desolationis & afflictionis gaudeater, ex puro amore Dei, cum alacritate & inexplebili in magis arduis se diuinę voluntati conformandi, cupiditate. Quam sublimis hic tertius resignationis gradus, quam Deo gratus, quam meritorius? Quam perfectè B. Virgo huac tota vita con-

scen-

scendit, quantò perfectius Christus Dominus eundem longè transcendit? Desiderium ad hūc resignationis gradum constanter contendendi hic subiungendum.

De fundamentis perfectæ resignationis. XVI.

- I. **E**Xpende præcipua veræ resignationis, & nostræ voluntatis cum diuina in omnibus conformationis fundamenta, quæ sunt hæc quatuor. Quorum 1. est, Immensa, infinita, interminabilis, incomprehensibilis *Sanctitas & iustitia Dei*, à qua quicquid fit, iustum, & sanctum est, quicquid huic summæ regulæ omnis sanctitatis & iustitiæ conforme est, rectum & æquū est, quicquid difforme est, distortum & iniquum: quicquid autem Deus vult, decernit, facit, permittit, ordinat, huic regulæ conforme est, atq; ab ea fit, quicquid fit, excepta semper sola formali peccati malitia: *Iustus est Dominus in omnibus vis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* 2. Immensa, infinita, interminabilis, incomprehensibilis *Potentia Dei*, sine qua nihil factum est, nec fit, nec fiet vnquam, in cælo & in terra, excepta semper peccati malitia.

Amos 3. *Isa. 45.* *tia. Non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Ego Dominus & non est alter, formans lucem & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia haec. Quod ergo Deus facit, quis infectum velit?*
 3. Immensurabilis, inscrutabilis, aeterna & incomprehensibilis Sapiencia Dei, omnia ab aeterno in aeterna prospicientis, nihil casu fieri permittentis, Electis omnibus & singulis omnia & singula media ad praedestinatum sibi gloriae gradum pertingendi suauiter & efficaciter prouidentis. *Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Et, a saeculo in saeculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.* quod ergo infinitae sapientiae Dei placet, homuncioni displiceat? quod increata sapientia probat, ob aeternas rationes tanquam iustum, sanctum, sibi gloriosum, Electis fructuosum: creata intelligentia humanae vanitatis ob argutationes quasdam futiles in dubium vocet, discutiat, improbet, & dicat Deo: quid, aut quare sic facis?
 4. Infinita similiter secundum omnem dimensionem Bonitas Dei, omnia quae immittit, aut euenire permittit, ex infinito amore ad maiorem suam
 ele.

electorumque gloriam dirigentis. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Rom. 8: Quid bonus filius de manu tam amabilis Patris acceptare renuat, à quo se tam tenerè diligi certò sperat? His fundamentis singulis vel omnibus ponderatis, excitandum desiderium perfectæ resignationis, eiusque actus præcipui eliciendi iuxta modum in sequenti meditatione positum.

II. Quomodo in exercitio resignationis his fundamentis sit utendum, nimirum ex profunda eorum penetratione acuenda est viua fides circa prædictas veritates firmiter apprehendendas; profunda submissio & reuerentia erga inscrutabilia Dei iudicia, decreta, opera: Filialis erga Patrem filiorum suorum salutis & perfectionis amantissimum fiducia: ardensque erga eundem infinitè amabilem electarum animarum Sponsum amoris & zeli gloriæ eius affectus. Quam suaue & iucundum erit hoc resignationis, quantumuis in rebus arduis, exercitium, si seria horum fundamentorum ruminacione, & pia prædictorum
affe-

affectuum innouatione condatur? Feruor hosce pios affectus ad perfectam resignationem necessarios frequentandi.

III. Quàm profundè B. Virgo hæc fundamenta penetrârit, quàm sublimi modo ex eorundem ruminacione prædictos affectus frequentarit: Quânto porrò diuinius Christus Dominus hæc eadem præstiterit, tum ob clarissimam istorum fundamentorum & veritatum inde deductam intuitionem, tum ob intensiorem diuini beneplaciti amplectendi & exequendi feruorem. Zelus imitandi.

XVII. *De actibus internis Resignationis perfectè exercendis.*

I. **E**Xpende quinam sint præcipui affectus interni resignationis, & quomodo perfectè exercendi, cuiusmodi sunt hi triplices. 1. Intellectu reuereri, probare, laudare, affectu acceptare, amplecti, exosculari omnia, quæ Deus per se, & quosuis Superiores præcipit, consulit, innuit. 2. Simili modo se habere erga omnia tam aduersa quàm prospera, tam amara quàm dulcia, quæ ipse immittit, vel permittit circa nos, omnes, & omnia. 3. Similiter

liter erga omnia, quæ circa nos alios-
que ordinat, quoad distributionem
donorum naturæ, gratiæ, gloriæ. Hi
triplices affectus quanti forent meriti,
& quam Deo accepti, si optimo quo
possent modo medullitus elicerentur,
videlicet circa omnia, quæ sub resigna-
tionem cadunt, ex *sublimissima* inten-
tione, cum *inrensiſſimo* submissionis, re-
uerentiæ, fiduciæ, amoris, zeli gloriæ
Dei affectu, quam diu Deo placuerit,
cum desiderijs longè vires excedenti-
bus? e. c. hoc vel simili modo.

O Deus infinitè iuste & sanctè, in-
finitè potens & sapiens, infinitè beni-
gne & misericors, cuius sanctissima
voluntas est infallibilis regula omnis
iustitiæ & sanctitatis, quam dignum
& iustum esset, te tuumque sanctissi-
mum beneplacitum in omnibus sub-
mississimè suspici: summè laudari,
promptissimè acceptari! Nulla crea-
tura etiam possibilis dignè id præsta-
re potest, nec poterit in æternum. Ego
nihilominus minima portio creaturæ
tuæ, pro modulo meo in omnibus, quæ
diuinæ sapientiæ & bonitati tuæ pla-
cuerit mihi per se, aliosq; imponere,
quantumuis ardua, & sensualitati, vo-
luntati, & iudicio proprio dissenta-
nca:

nea: in omnibus asperis & blandis,
 prosperis & aduersis, quæcumque mi-
 hi, alijsque, etiam toti congregatio-
 ni & Ecclesie euenire permiseris, quo-
 ad corpus, animam, famam, bona ex-
 terna: in omnibus denique diuisio-
 nibus donorum tuorum naturæ, gra-
 tiæ, gloriæ, quoad me, omnesque al-
 ios vnquam factis, & porro facien-
 dis: in his inquam omnibus tuum san-
 ctissimum iudicium, decretum, be-
 neplacitum reuereor & accepto, pro-
 bo & amplector, laudo & exoseolor,
 & quidem ex puro amore tui, absque
 intuitu vllius supplicij & præmij, licet
 me scirem annihilandum, nulloque
 modo remunerandum, aut iusto iudi-
 cio tuo (quod auertet infinita bonitas
 tua) reprobandum: cum intensissi-
 mo reuerentiæ, fiducia, amoris, zeli
 gloriæ tuæ, imò omni possibili affe-
 ctu; idque continuare desidero sum-
 ma cum constantia inter quæuis acer-
 ba, nunc, semper, æternum & ultra:
 Denique cum explebili desiderio lon-
 gè supra mensuram virium mearum
 perfectius in omnibus me tuæ diui-
 næ voluntati submittendi & confor-
 mandi. Idem præstare vellem non so-
 lum meo, sed omnium hominum, si
 eo-

eorum liberæ voluntates in mea potestate forent, inflammatisimo affectu. In horum tepidorum suspiriorum meorum compensam offero tibi omnes incensissimos resignationis affectus tibi placitos vnquam elicitos & eliciendos, in vnione diuinissimorum excessuum resignationis B. Virginis & Christi Domini. Utinam mecum omnes, maximè hi, omnes fratres mei, religiosi, pij, Electi, omnes peccatores, omnes viatores eisdem hos affectus eliciant modo perfectissimo! Utinam hos affectus in tot occasionibus oblatis perfectè eliciissem, & non tot defectus oppositos commissem! Doleo, emendare cupio, & quod neglexi, compensare propono, horum affectuum aliquos per diem renouando, tali oblata occasione re ipsa exprimendo, sic hic formanda proposita practica cuique accommodata.

II. Quàm sublimiter B. Virgo hos actus resignationis tota vita quotidie toties frequentarit, quæ illuminatis mentis oculis tam euidenter in omnibus decretis, operibus & permissionibus diuinis inscrutabilem diuinæ prouidentia dispositionem agnoscebat:

bat:

bat: quæ tam longe ab impedimentis
resignationis, amore, voluntate, & iu-
dicio proprio aberat: quæ tam intense
non solum Deum, sed quisquid illi
placebat, toto corde diligebat. Zelus
imitandi. Vide de his 1. p. med. hebdom. 7.
post Epiph. med. 7.

III. Quantò sublimius benedictus
eius Filius eosdem tota vita continuâ-
rit. 1. Ob clariorem diuinæ sapientiæ,
potentiæ, iustitiæ, misericordiæ, bo-
nitatis, & beneficentiæ ex his omni-
bus, quæ fiunt, elucetis intuitionem.
2. Ob intensiorem eiusdem infinitæ
bonitatis & amabilitatis amorē 3. Ob
ardentiorē nos ad sui æmulationem
prouocandi zelum. vide ibidem med.
6. Idem zelus imitandus.

XVIII. *De actibus externis, & Incitamentis
resignationis.*

I. **E**Xpende quomodo actus externi
& incitamenta huius resignatio-
nis internis correspondentes sint per-
fectè exercendi, hi nimirum triplices:
verbo, hilari vultu, factō ipso, hos in-
ternos affectus exprimere, & re ipsa
conformare se diuinæ voluntati. 1. In
omnibus obiectis obedientiæ. 2. In
obiectis patientiæ. 3. In obiectis re-
ueren-

uerentiæ & submissionis diuinæ pro-
uidentia diuidenti singulis talenta,
prout vult, debita. Quanta hi cum
gloria Dei, augmento proprii meriti,
& ædificatione proximi frequentaren-
tur, si non ex arida consuetudine, sed
cum pia ad fundamenta resignationis
reflexione, & prædictorum internoꝝ
affectuum innouatione frequentaren-
tur! Quod assequeris, si in omni oc-
casionè resignationis, maximè in re
ardua exercenda, Deum salutis tuæ
amantissimum auribus cordis tui in-
fusurrantem audire te putes: Fili hoc
volo, vt amore mei facias, feras, acce-
ptes, Ego sum qui hoc iubeo, qui im-
mitto, vel permitto, qui sic ordino.
Desiderium perfectè re ipsa se in omni-
bus diuino nutui accommodandi.

II. Quam perfectè hos externos resi-
gnationis actus cum internis coniun-
xerit B. Virgo tota vita, maximè in
desponsatione cum Iosepho, in Incar-
nationis mysterio, in fuga in Ægyptū,
in passione Filij, in ferendis molestijs
diurni exilij! Quanto perfectius
Christus ipse tota itidem vita, maximè
in instanti incarnationis, & natiuita-
tis, in horto orans, crucem baiulans,
in cruce moriens? Zelus imitandi.

III. In-

III. Incitamenta, quorum r. fit, quod hoc iuge exercitium perfectæ resignationis hominem resignatum sic cum Deo uniat, ut quasi unus cum eo spiritus fiat, ac proinde inter omnes rerum & temporum varietates ipse sibi similis perseverans quodammodo immutabilis appareat, ac singulari modo diuine immutabilitatis similitudinē participet. Iuxta illud D. Ioannis: *Mundus transit, & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.* de quo præclare D. Bernardus: *Eru inter aduersa & prospera mutabilium temporum tenens quandam aeternitatis imaginem, utique hanc inuiolabilem & incommutabilem constantis animi aequalitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vindicans tibi etiam in huius mutabundi sæculi dubijs euentibus, ceterisque defectibus perennis quodammodo incommutabilitatis statum, dum te ceperis renouare & reformare in insigne illud antiquum similitudinis aeterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, quippe sicut ipse & tu eris in hoc mundo, nec in aduersis timidus, nec in prosperis elatus.* 2. Quod sit compendiosissimum ad insignem perfectionem breui pertingendi medium. qui enim

I. Ioh. 2.

Ser. 21. in
Cant.

semper & in omnibus quæ cogitat, desiderat, dicit, facit, patitur, tanquam scopum in quem collimet diuinum sibi præfigit beneplacitum, hoc vnico suauis & efficaci exercitio facilius eximiam animæ puritatem, virtutum soliditatem, & arctissimam cum Deo familiaritatē sibi acquirit, quam si multa plura & asperiora exercitia adhibeat, cum hoc vnicum cetera eminenter in se contineat. Quam consultum ergo erit, huic vni potissimum se dedere, & in re quauis, & quouis propè momento dicere cum D. Paulo: *Domine quid me vni facere?* & cum Christo ipso: *Fiat voluntas tua* de me, à me, in me, circa me, per me, tam in vita quam in morte, tam in tempore quam æternitate. 3. Quod sit expeditum medium augendi meritum viæ, & brauium patriæ, cum in eo tot eximij præcipuarum virtutum Fidei, Spei, Charitatis, zeli gloriæ Dei, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, longanimitatis actus eliciantur; tot heroica desideria exercentur; tot insignes de amore, voluntate & iudicio proprio victoriæ reportentur, & quidē hæc omnia toties in die tā facile frequententur. Quisquis ergo magnus in gratia & gloria

ria

ria esse desiderat, in hoc magnum conformandi se semper & in omnibus diuinæ voluntati exercitium totus incumbat. Zelus frequentandi perfecta resignationis exercitium.

XIX. *De prestantia, & proprietatibus sinceri zeli honoris Dei, & salutis animarum.*

I. **E**Xpende quam nobilis partus charitatis & religionis sit hic zelus, qui est incensus affectus sinceri amatoris, quo diuini honoris, & animarum salutis propagationem impense querit, & quicquid his aduersatur, fortiter, constanterq; repellit: Quam gratum sit Deo sacrificium, in quo uerus zelator seipsum in holocaustum igne amoris concremandum immolat, de quo D. Gregorius: *Nullum omnipotenti Deo tale sacrificium, quale est zelus animarum: Quam peculiare sit diuine largitatis donum, quod ijs potissimum in excellenti gradu communicat, quos ad munus Apostolicum vocat. Quid enim sublimius in hoc mundo esse potest, quam esse cooperatorem Filij Dei, in promouenda gloria æterni Patris, & procuranda hominum perfectione & sa-*

*Hom. 12.
in Ezech.*

& salute? Si ergo iuxta D. Dionysium, *De cael.*
 diuinorum omnium diuinissimum est *Hierarch.*
 cooperari Deo in conuersione anima- *c. 3.*
 rum, quanto feruore huic tantæ gra-
 tiæ tam sublimis vocationis erit coo-
 perandum? Feruor proficiendi in ze-
 lo animarum.

II. Qualis debeat esse hic zelus vt
 Deo perfectè placeat, videlicet, *Rectus,*
Magnus, Fortis. *Rectus* erit 1. si proce-
 dat ex amore amicitiaë, non ex amore
 concupiscentiaë, seu si purè intendat
 diuinum honorem & obsequium, non
 propriam gloriam & emolumentum,
 iuxta exemplar Christi, qui ait: *Non* *Ioh. 8.*
quero gloriam meam. 2. Si ordinatus
 sit in procurando prius proprio, quam
 alieno profectu in via triplicis perfe-
 ctionis, exemplo Christi, qui cœpit
 prius facere, quam docere. 3. Si sit dis-
 cretus, sic impendendo se lucro ani-
 marum, vt propria non patiatur detri-
 mentum. *Quid enim prodest homini, si* *Matt. 16.*
uniuersum mundum lucretur, anima ve-
rò sua detrimentum patiatur? *Magnus* e-
 rit extensiuè, si se ad omnes homines,
 pauperes æquè ac diuites, nobiles &
 ignobiles, notos & ignotos diffundat;
 ad omnia media proximos iuuandi
 quantumuis ardua, laboriosa, abiecta,

amplectenda promptè se offerat, ad omnes occasiones animas lucrandi aduigilet, idque insatiabiliter tota vita. *Magnus* intensiue, si optimo modo, quoad intentionis puritatem, intellectus attentione, voluntatis promptitudinem, omnium virium debitam applicationem, cum heroicis desiderijs multò plura magisque ardua pro gloria Dei & salute animarum facienda & patiendi exerceantur. *Fortis* erit, si nec laborum in huius zeli exercitijs subeundorum multitudine & grauitate; nec hominum conuertendorum pertinacia & ingratitude; nec desolationum, oblocutionum, persecutionum, periculorũ varietate & atrocitate, nec demum horrore mortis impius, quantumuis acerbissima se impediri, multò minus obrui sinat. Talis zelus illius sit oportet, qui & nomen, & meritum veri zelatoris habere desiderat. Desiderium ad culmen tam perfecti zeli feruenter contendendi.

III. Quàm perfecte has omnes conditiones habuerit zelus Apostolorum, & tot Apostolicorum virorum inexplebili siti diuinæ gloriæ & salutis animarum iugiter æstuantium, & cum Apostolo medullitus exclamantium:

Cha-

Charitas Christi urget nos. Quanto perfectius easdem habuerit zelus Christi Domini, ex hoc eodem zelo tam mirificientis, tam dira patientis? Feruor hunc zelum imitandi.

De Fundamentis huius perfecti zeli.

XX.

AD zelum hunc vehementius inflammandum, expende præcipua eius fundamenta, quæ sunt infinita diuinæ Maiestatis sublimitas; maxima animarum dignitas, inæstimabilis Dei erga easdem charitas.

1. Ergo expende quanta sit sublimitas diuinæ Maiestatis, magnificentiæ, potentiae, sapientiæ, beneficiæ, aliarumque perfectionum, ob quas infinito honore, amore, cultu, obsequio est dignissimus, quæ nullo potest creato intellectu apprehendi, cum sit vndeque; infinita, immensurabilis, incomparabilis, interminabilis, incomprehensibilis: Hanc si vel semel liceret clarè intueri, nunquam liberet, nunquam liceret ab ea iugiter suspicienda, laudanda, amanda, glorificanda vel ad momentum cessare. Hoc experiuntur Beati, cœlestis patriæ incolæ, clarè intuentes facie ad faciem, quod nos per speculum & in ænigmate obscure

cognoscimus; qui sic absorpti sunt in hac infinita Dei excellentia contemplanda, suspicienda, amanda, & glorificanda, ut ne ad momentum quidem possint vlla creata illecebra, aut violentia abstrahi, aut interpellari. Quàm æquum ergo foret hanc eandem Dei infinitam excellentiam, ab omnibus hominibus, in hunc finem conditis, nunc quoque agnosci, adorari, amari, & omni meliori modo glorificari in terris, ut id ipsum æternum cum Beatis continuare mereantur in cœlis? His ponderatis desiderium prolixius excita, ut Deus sic ab omnibus glorificetur.

II. Quanta sit dignitas animarum, quæ æstimanda i. Ex præstantia donorum naturalium illi diuinitus collatorum, quod sint viuæ SS. Triados imagines, creaturæ planè spirituales, intellectuales, liberæ, immortales, æternæ beatitudinis capaces. 2. Ex præstantia donorum supernaturalium iisdem conferri solitorum, ni ipsæ ponant obstaculum, vti sunt: gratia iustificans, virtutes supernaturales, tot diuinæ illustrationes intellectus, impulsus voluntatis, cœlestes consolationes. 3. Ex præminentia tot donorum

norum gloriæ essentialis & accidentalis iisdem promissorum. Cum ergò tanta sit dignitas singularum animarum, quàm dolendum vel vnã earum æternum perire; nec in hoc, nec in altero sæculo finem suum vltimum assequi, qui est agnoscere, amare & glorificare Creatorem? Zelus eas iuuandi, atque ad finem suum vltimum obtinendum dirigendi.

III. Quanta sit erga easdem SS. Trinitatis charitas, quæ hinc æstimanda, quod vel vnã earum longè pluri, quam omnes creaturas ratione carentes simul sumptas æstimet, longèque vehementius amet, cum has omnes in earum commodum crearit, & hucusque conseruet: Quod Pater ex infinita illa charitate pro vnaquaque ab æterno non dubitarit mittere, & in tempore miserit Filium vnigenitum incarnandum: quod Filius vti ab æterno decreuit, ita in tempore se in pretium redemptionis pro vnaquaque obtulerit: quod Spiritus sanctus vti ab æterno voluit, ita etiam in tempore vnãquamque sanctificare, in viam salutis dirigere, in eadem promouere, & in gratia conseruare paratus sit. Quanto ergò amore complectendæ

animæ, quas tam tenerè diuina Maie-
stas amat! quanto studio earum per-
fectioni & saluti inuigilandum, qua-
rum salutem & perfectionem tam ar-
denter desiderat! Idem affectus reno-
uandus.

XXI. *De zeli huius actibus internis per-
fectè eliciendis.*

I. **E**Xpende quomodo perfectè exer-
cendi sint præcipui actus interni
huius zeli, qui sunt: 1. Ardenter esu-
rire & sitire maiorem diuinæ Maiesta-
tis cognitionem, æstimationem, amo-
rem, cultum, obsequium; & maiorem
omnium hominum perfectionem, gra-
tiam, gloriam cum omnibus medijs
proficiendi in omni sanctitate, & in
gratia perseuerandi, per septem plura
desideria oratione Dominica compre-
hensa, vti explicatum est in meditatio-
nibus septem de eadem oratione 4.
part. med. hebd. 14. & 15. post Trinit.
2. Intimè dolere de tot iniurijs diuinæ
Maiestatì ab Idololâtris, hæreticis, &
peccatoribus illatis, de diuino cultu
neglecto, de tanta cæcitate, ingrati-
tudinè, malitia hominum, Creatorem
suum tam temerè & proteruè tot pec-
catis offendentium, cæcoque imperu

in æternum interitum ruenrium; & feruenter optare & desiderare per se, aliosque iniurias Creatori inferri solitas pro viribus propulsare, animasque à præsentis exitio per idonea media liberare. 3. Optare, desiderare, proponere multa ardua facere & pati ad diuini Numinis honorem, cultumque propagandum ac vindicandum; atque ad perfectionem & salutem animarum procurandam, & promouendam. Perfectè hi affectus possunt exerceri; si *lanissimo* charitatis affectu ad omnes diuinam gloriam propagandi, iniurias quasuis diuinæ Maiestatis propulsandi, omnium hominum salutem promouendi vias, ac rationes extendantur; si ex *sincera* intentione solius diuini honoris & obsequij; cum *intensissimo* amoris erga Deum & proximum excessu; cum inuicta inter quasuis occurrentes difficultates *Constantia*; Et cum *inexhausto* demum perfectius etiam longè supra vires Deum glorificandi, proximosque iuuandi desiderio eliciantur. Quàm amplum & præclarum huiusmodi desiderijs, quæ tam facilè cum diuina gratia possunt frequentari, reddetur præmium ab eo, qui iuxta D. Augustinum, bonam

voluntatem coronat, quando non inuenit facultatem! His perpensis prædicti affectus omnes, vel aliqui ad longum exercendi.

II. Quàm perfectè tot Apostolici & zelosi viri, maximeque B. Virgo hæc sancta desideria omnia frequentariæ tota vita, maximè Messiaæ aduentum expectans; in Ægypto inter idololatrias exulans; Filium prædicantem sequens; gloriam eiusdem assumpti propagari ab Apostolis, obscurari à Iudæis cernens; Quàm purè, intensè, constanter, insatiabiliter, tum ob clariorem diuinæ Excellentiaæ & charitatis, animarumque dignitatis cognitionem, tum ob flagrantiorum erga Deum & proximum dilectionem. Zelus æmulandi.

III. Quantò tandem diuinius Christus Dominus hoc sancto zelo continuè æstuans hos similesque igneos affectus continuerit tota vita, vix conceptus in Virginis utero, vagiens in præsepio, triginta annis ad prædicationis munus sanctis desiderijs, & priuatis humilitatis, aliarumque virtutum exercitijs se accingens: in deserto 40. diebus ieiunio & diuinæ contemplationi vacans: tempore prædicationis sæpè in oratione pernoctans: tempore pas-

re passionis pro omnibus orans, & se
in sacrificium placationis offerens.
Feruor imitandi in crebra & pia reno-
uatione prædictorum affectuum.

*De zeli actibus externis piè exercen- XXII.
dis, & Incitamentis.*

I. **E**Xpende quo pacto præcipui ad-
ctus externi zeli sint perfectè ex-
ercendi, qui sunt 1. Conari omni ob-
lata occasione promouere diuinam
gloriam, cultum, obsequium, proxi-
morumque salutem, & in omni per-
fectione profectum verbo, exemplo,
consilio, & auxilio. 2. Conari impe-
dire & amoliri omnia, quæ cedunt in
iniuriam Creatoris, & iacturam pro-
ximorum perfectionis ac salutis, pec-
cata aliorum commissa lacrymis & vo-
luntarijs satisfactionibus in se expian-
do, committenda præpediendo, ad se-
riam pœnitentiam lapsos exstimulan-
do. 3. Nullos labores recusare, nullas
difficultates subterfugere, nulla peri-
cula horrere in gloria Dei, & proxi-
morum salute promouenda. Ad hos
piè perfectèque frequentandos opus
est 1. vt nunquam ex arida consuetu-
dine, sed cum pia subinde ruminatio-
ne, aut infinitæ Dei excellentiæ, aut

Fff 5

præ-

præstantiæ animarum, aut inæstimabilis Dei erga easdem dilectionis, & cum affectuosa interiorum zeli affectuum renouatione exerceantur. 2. Ut heroica desideria supra vires Deum glorificandi, animasq; iuuandi superaddantur. 3. Ut debita cum attentione, promptitudine & contentione omnium virium mentis & corporis ministeria, & media ad diuinum obsequium, & animarum auxilium idonea, vti sunt concionari, cōfessiones audire, docere rudes, monere errantes, iuxta gratiam vocationis cuiusque, adhibeantur. In quantum cresceret multorum in vinea Domini laborantium meritum, si cum tali perfectione facere satagerent ea, quæ quotidie faciunt ad diuinum obsequium! Feruor perfectè actiones zeli externas frequentandi.

H. Quanta cum perfectione plurimi viri, Apostolico spiritu pleni, hos externos zeli actus frequentarint, & cōsuetæ Dei gloriam & animarum salutē promouēdi ministeria obierint, & media cuiusq; statui congrua vsurparint; quanto perfectius supra hos omnes B. Virgo, Regina Doctorum, & zelosorū omnium zelosissima se in his exercuerit; quanto tandem interuallo subli-

mius.

mius is, de quo scriptum : *Zelus domus tua comedit me.* & quidē tota vita, maxime duodennis Doctores audiens & interrogans; è templo vendentes & ementes eiciens; biennio prædicans; ad passionem properans; in cruce sitio exclamans. Desiderium tam perfectum zelum reipsa imitandi.

III. Incitamenta, uti sunt, 1. quod verus zelator mirè Deum sibi deincepat, & quodāmodo cogat ad vberiora charismata sibi impertienda, quibus tantostrenuè utitur ad eius gloriam, salutemq; animarum, quas tam tenerè diligit, latius propagandam, ut patet in D. Paulo, alijsq; Apostolis, & viris Apostolicis. 2. Quod valdè quoq; sibi demereatur sanctos Angelos, quorum officium imitatur in eorum clientibus purgandis, illuminandis, perficiendis. 3. Quod non solum ingens gratiæ & gloriæ essentialis mereatur incrementum, sed ineffabile insuper accidentale gaudium, de tanta gloria tot hominum ab æterno interitu ope sua vindicatorum, æternum Deo laudes cum Beatis omnibus concinentium. Feruor proficiendi in actibus zeli internis externisque perfectius frequentandis.

XXIII. De Charitatis erga proximum Natura,
Proprietatibus, Gradibus.

I. **E**Xpende in quo consistat exercitium fraternæ charitatis erga proximum, quæ est idem cum charitate Dei, habitus inclinans nos ad omnes proximos, tam inimicos, quam amicos sincere propter Deum diligendos, nimirum in eo, ut perfectè implere conemur hæc tria legis naturæ & euangelicæ præcepta:
Matth. 7. 1. Quodcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. 2. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri feceris. 3. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Quæ copiosam tibi hucusque divina bonitas gratiam ad illorum observationem suppeditarit, & porro suppeditare parata sit; Quanto igitur studio tantæ gratiæ foret cooperandum? Feruor hæc triplicia charitatis præcepta accuratè obseruandi.

II. Quibus conditionibus prædita esse debeat fraterna charitas, ut Deo gratior, nobisque sit quæstuosior:
 1. Ut *Recta* seu *Pura* sit, quoad puritatem intentionis, seu ut ex recto corde procedens, recta, immediatè quidem in proximum Deo tam carum tendat, vlti-

ultimatè tamen in Deum ipsum, propter quem ille diligatur. 2. Vt *Magna* sit, quoad extensionem ad omnes proximos, ad triplicia insinuata obiecta, ad omnia inquam vera bona proximo fauenda, optanda, procuranda; ad omnia vera mala ab eo omni ope, si nõ facto, saltem desiderio promouenda, ad omnia eius onera supportanda: *Magna* quoad intensiõnem graduum, & interiorem dilectionis affectum: *Magna* quoad durationem saltem virtualiter continuam in hac vita, & formaliter continuandam in altera. 3. Vt *Fortis* sit & *Constans* inter quasuis difficultates, desolationes, ærumnas. Quã eminenter has condiciones omnes habuerit charitas B. Virginis? quanto eminentius charitas Christi? quanto desiderio ad illam absolutissimam charitatis erga proximum normam nobis anhelandum, cui quò nostra charitas erit similior, eò quoque erit diuinæ Maiestati gratior? Feruor proficiendi in eximia dilectione proximi.

III. Qui & quales gradus sint fraternæ charitatis, quorum ratione *Extensionis*, *Intentionis*, & *Intensõnis* possunt assignari triplices; 1. Amare proximum, & obseruare triplicia prædicta.

E ff. 7. cha-

charitatis præcepta in obligatorijs sub peccato graui; ex metu supplicij; non absque graui lucta & difficultate. 2. Idem præstare in obligatorijs sub veniali culpa; potissimum ex spe præmiij; cum minore difficultate & lucta. 3. In omnibus nullo etiam pacto obligatorijs, ex puro amore Dei, cum alacritate & gaudio. Quàm excelsus & pretiosus hic postremus fraternæ charitatis gradus! quanto proinde feruore ad illum cõtendendum exemplo B. Virginis & Sanctorum in hoc charitatis gradu excellentium! *Feruor ad hunc gradum contendendi.*

XXIV. *De Fundamentis Fraterna Charitatis.*

AD solidiorem in exercitio fraternæ charitatis progressum faciendum, expende præcipua, quibus innititur, fundamenta, cuiusmodi sunt hæc tria:

I. Quod summè amet SS. Trinitas, cum B. Virgine & comprehensoribus omnibus omnes homines capaces gratiæ, & gloriæ, summeque velit à nobis eosdem amari, tanquam viuas sui imagines, & nobilissimas post Angelos creaturas; Pater tanquam filios adoptiuos sibi carissimos; Filius tanquam

sta.

fratres & coheredes suos; Spiritus sanctus tanquam Sponsas & templa. Quis porro intellectu comprehendat, quam inestimabilis sit illa SS. Triados erga homines dilectio, ex qua illos tales condidit, tot naturæ dotibus ornauit, sic perditos reparauit, sic conseruare, iustificare, ad sublimiora urgere, ad brauium disponere nō desinit, sic quoad corpus & animam, ni ipsi obtent, glorificabit? Quos ergo diuina Maiestas tanti facit, tam impensè diligit, hos homo magni æstimare & impensè amare recusabit? Gratitude pro tanta Dei dilectione, & Feruor perfectè omnes proximos diligendi.

N. Quod omne id quod fit proximo, sibi factum reputetur, à Christo discretè id asseuerante: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimu, mihi fecistis. & Quamdiu non fecistis uni de miseribus his, nec mihi fecistis. Quantoperè ergo cauendum, ne vllum charitatis officium debitum proximo omittamus, ne vllum malum, vllamvè iniuriam illi inferamus, sicque in Christum ipsam peccemus. Quod profundè expendit Diuus Augustinus dicens: Ne. Serm. 162. mo contemnat quando peccat in fra- de verb. trem: ait enim quodam loco apostolus: Dominis

Sic

1. Cor. 8. Sic enim peccantes in fratres, & percutientes eorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis, ideo quia membra Christi omnes facti sumus, quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi? Quis hæc pro dignitate ponderans quemuis proximum vel in minimo contristari non horreat? & cuius v. b. i. c. u. n. q. u. e. p. o. t. e. s. t. e. x. c. h. a. r. i. t. a. t. e. g. r. a. t. i. f. i. c. a. r. i. n. o. n. g. e. s. t. i. a. t. ? Feruor hac consideratione sese exstimulandi ad fugiendos defectus charitati contrarios, actusque eius promptè exercendos.

III. Quod quicquid molestiarum, aut iniuriarum à quibusuis proximis ferendum electis obtigerit, non fiat absque voluntate Dei, id ad maiorem suam, electorumque gloriam permittentis. Quod ergò Deus infinitæ potentia, sapientia, bonitatis nobis à proximis fieri permittit, cum posset & vellet impedire, nisi sciret & vellet inde maius bonum elicere: quis obuijs vlnis id de manu amantissimi Patris acceptare, & in charitate supportare detrectet? quis malum pro malo reddere præsumat? quis instar canis baculum, quo percussus est, mordentis, & manum eius qui percussit non attendentis, in proximum, à quo læsus est,

est, insurgat, & non potius paternam
manum Dei, id iusto iudicio permit-
tentis, cum Dauide, dum à Semei ma-
lediceretur, reuerenter suspiciat? Fer-
uens desiderium quæuis proximorum
onera portandi, intuitu omnia hæc
permittentis Dei.

2. Reg. 15.

De actibus internis fraternæ charitatis XXV.
perfectè eliciendis, oppositisq;
defectibus fugiendis.

I. **E**Xpende quo pacto queant perfe-
ctè elici præcipui actus interni
fraternæ charitatis, (qui sunt hi tripli-
ces: 1. Velle proximis propter Deum
vera bona singulis conuenientia. 2.
Nolle iisdem vera mala. 3. Velle sup-
portare in charitate illorum onera.)
Nimirum 1. *Latissimè* erga omnes pro-
ximos, quoad omnia obiecta charita-
tis, quoad omnes occasiones & modos
prædictos actus exercendi. 2. *Purissimè*
quoad intentionem amoris & ho-
noris Dei, nõ proprij commodi. 3. *In-
sensissimè* quoad flagrantissimum dile-
ctionis affectum, & intensissimum o-
mnium virium mentis & corporis co-
natum. 4. *Constantissimè* inter quasuis
ingratitude, molestiarum, iniu-
riarum à proximis tolerandarum tem-
pesta-

pesta-

pestates. 5. *Insatiabilissime* quoad sublimiora perfectius eliciendi desideria. Quàm facili negotio, quàm ingenti merito sic possent diuina aspirate gratia frequentari? His ponderatis prolixius hi triplices actus, vel aliquorum insinuato modo poterunt exerceri, his similibusve suspirijs: ó Deus, qui homines ad imaginem tuam conditos, tanto pretio redemptos, ad tantam gloriam, ni ipsi obtent, euehdos, tam ardentem diligis, & ab omnibus diligere cupis, desidero in hoc sanctissimæ tuæ gratificari voluntari: sed pro dignitate id præstare me non posse agnosco. Omni ergo saltem quomodo, omnes omnino proximos, etiam inimicos tanquam actus, vel saltem potentia per gratiam carissimos filios tuos, cœlestis regni haeredes, diuinitatis tuæ consortes intimo amore complector: ijsq; faueo omnia vera bona supernaturalia, vti peccatorum veniam, gratiam, perseuerantiam, animæ corporisque gloriam: Et omnia naturæ & fortunæ bona, quatenus illis conducunt ad finem suum vltimum iuxta tuum beneplacitum. Gaudeo de ijs quæ habent, non secus ac si ego haberem, tibi que pro his gratias

nas ago: ea quæ non habent, ijsdem
animitus opto, & quæ possum pro
modulo meo procurare desidero. 2.
Doleo de omnibus malis spiritualibus
& corporalibus omnium peccatorum
& afflictorum, tanquam de proprijs, à
quibus opto eos liberari, ijsque prout
possum, cupio opitulari. 3. Omnia
omnium proximorū ceu filiorum tra-
orum & fratrum meorum onera, omnes
defectus tam naturales quam morales
corporis & animæ, culpabiles & incul-
pabiles, omnes molestias & iniurias, si
quas mihi ab ijs inferri contigerit, æ-
quo, patienti, hilarique animo, cum
debita commiseratione supportare,
prout potero excusare, & obsequijs
compensare medullitus desidero. At-
que hos omnes affectus & desideria
quavis occasione oblata frequentare
cupio, ac propono, non intuitu vilius
respectus humani, aut proprij emolu-
menti, sed vnius amoris & beneplaciti-
tati: toto affectu intimorum præcor-
diorum meorum: *Constanter* omnibus
difficultatibus perruptis, tota vita, er-
ga omnes etiam maleuolos, quicquid
molestiarum, iniuriarumque mihi ab
ijs obuenerit, sustinendum: Insuper
Insatiabili cū desiderio indies crebrius,
pu-

purius, intensius, viriliterque circa res magis arduas hos charitatis actus exercendi. Utinam non solum corde meo, sed omnium hominum cordibus, hos sensus, affectusque charitatis erga proximos sic frequentare possem! quod non possum facto, desiderio suppleo. Sed & hæc imperfecta desideria suppleant perfectissimi omnium Sanctorum, maximè B. Virginis fraternæ dilectionis excessus, quos offero tibi, ò bone Iesu, in vnione tuorum diuinissimorum similium excessuum infiniti meriti. Utinam eosdem mecum omni meliore modo tibi placito exercent nunc, semper exercuissent, ac deinceps exercerent omnes, maximè illi, pro quibus ego solèo, & tu me vis orare.

II. Quam eminenter omnes Sancti, uti S. Ioannes Euangelista, alijque charitate fraterna eximij, maximeque B. Virgo, Mater pulchræ dilectionis, hos actus internos tota vita frequentarunt: at quantum tandem eminentius ille, qui de se ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et quæ ineffabilis erga homines amor è sinu Patris detraxit in vterum Virginis, & tam mira facere, tam dira pati compulit vsque ad opprobrium crucis. Zelus imitandi.

III.

III. Quinam defectus his charitatis actibus internis oppositi, & quomodo cuitādi, quales sunt hi triplices: 1. Vera bona naturalia & supernaturalia proximis à Deo collata inuidere, de ijs triftari: nolle eos in ijsdem acquirendis, augendis, conseruandisq; adiuuare, ex inuidia, ira, odio, amore propriæ excellentiæ. 2. Vera mala ijsdem fauere, de ijsdem gaudere, nec velle, nec cupere illa amoliri. 3. Onera proximorum tam vera quàm inaginata nolle æquanimiter ferre, temerè suspicari, iudicare, omnia in peiorem partem interpretari, optare par pari referre.

Quàm facilè hæ omnes pessimæ affectiones possint supprimi, & extirpari, si supra posita fraternæ dilectionis fundamenta seriò ponderentur, & in recenti memoria semper habeantur. Quis enim vel vnum horū defectuum deliberatè committere non exhorrescat, si cogitet, se dum peccat in proximum, peccare in Filium æterni Patris, in fratrem Christi, in Sponsam Spiritus sancti, imò in ipsum Christum, qui id quod proximo fit, sibi fieri asserit? Insuper si meminerit, quicquid à proximo sibi contigerit fieri, eius nutu
aut

aut permisso fieri, sine quo nihil potest fieri? Dolor de his defectibus excitandus, & feruor eos emendandi & compensandi concipiendus.

XXVI. *De externis fraternæ dilectionis actibus piè exercendis, defectibus oppositis cauendis, & Incitamentis.*

I. **E**Xpende quomodo actus externi fraternæ charitatis possint piè exerceri, cuiusmodi sunt hi triplices:
 1. Vultu, verbo, facto ipso demonstrare, nos proximis fauere vera bona, & de ijs gaudere, insuper conari illos in ijs, quæ non habent, acquirendis, pro viribus, consilio & auxilio iuuare.
 2. Simili modo ostendere, nulla vera mala nos ijs fauere, aut de ijsdem gaudere, insuper illorum miserijs compati, & eripere eosdem conari.
 3. Blando vultu, placido eloquio, pacato animo, re ipsa omnia onera eorundem in charitate supportare, iniuriasque beneficijs compensare. Hi omnes externi actus magno cum merito poterunt frequentari, si in ijs exercendis fundamenta prædicta fraternæ dilectionis piè subinde recolantur: si interni affectus ijs correspondentes adiungantur, si semper pura cum intentione,

tionem, debita cum attentione, & seria omnium virium cōtentione peragantur. Quanta fuerit perfectio in his dicto modo exercendis Sanctorum in hac charitate excellentium, maximè B. Virginis & Christi Domini, tam clarè semper fundamenta caritatis erga proximum intuentis, tam ineffabili amore, erga Patrem, hominesque uniuersos æstuantis? Feruor perfectè actus externos caritatis frequentandi.

II. Quomodo defectus his oppositi efficaciter cauendi, quales sunt 1. Proximum ex inuidia, odio, aliavè sinistra affectione impedire, aut negligere cū possis verbo & exemplo, consilio & auxilio iuare, in veris bonis adipiscendis & augendis. 2. Quoduis malum corpori, animæ, famæ, bonisque proximi externis inferre. 3. Quouis modo impatientiam in proximi oneribus ferendis exterius prodere, & quasuis molestias, iniuriasque sibi illatas seuerè vindicare, nihil condonare. Hos omnes præcauendi suavis & efficax ratio est crebra prædictorum fundamentorum ruminatio: pia internorum, externorumque actuum fraternæ dilectionis frequentatio: affectuosaque post quemuis vel leuissimum

mum

num lapsum veræ contritionis excitatio. Quàm facile hisce medijs, si constanter ea vsurpares, omnes hos defectus præcaueres, eorumque radices euelleres? Feruor hisce medijs omnes contra charitatem defectus extirpandi.

III. Incitamenta ad continuum in fraterna dilectione proficiendi studium, quorum 1. sit: Quod dilectio proximi post dilectionem Dei, maximè nobis tanquã summarium omnis perfectionis in lege naturæ, in lege scripta, & in lege gratiæ commendetur, minis & promissis inculcetur, atque in hac etiam vita non rarò eius violatio grauitè puniatur, obseruatio eiusdem liberaliter remuneretur, vt patet in Iosepho exaltato, & fratribus eius punitis: in Saule reprobato, & Dauide in eius locum assumpto. Vnde re-

1 Rom. 13.

atè Paulus: *Qui diligit proximum, legem impleuit. Plenitudo legis est dilectio.* Et D. Ioannes rogatus cur iam senex roties inculcasset illud: *Filioli diligite vos inuicem?* Respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solū fiat, sufficit.* 2. Quod

Ioan. 13.

In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis.

ostis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

& illud Augustini: *Dilectio sola discer-*

nit inter filios Dei & filios diaboli. & illud

Cassiani: Caritas rubrica est, qua oues

Christi discernuntur. 3. Quod maximū

sub agonem mortis afferat homini so-

ladium, tum ob spem similis miseri-

cordiæ, & charitatis sibi à Christo ex-

hibendæ, qualem ipse membris eius

impendit; tum ob spem liberalissimæ

remuneracionis omnium actuum fra-

ternæ dilectionis, quos Christus tan-

quam sibi exhibitos acceptare promi-

sit. Zelus proficiendi in dilectione

proximi.

Tr. 5. in
Ioan.

Colat. 16.
c. 6.

De Misericordia.

XXVII.

I. **E**Xpende quænam sint præcipuæ

actiones internæ misericordiæ,

& quomodo perfectè exercendæ: Mi-

sericordiæ, *qua virtus est, qua alienis mi-*

serijs condolemus, & prout possumus, suble-

uamus, actiones internæ sunt hæ præ-

cipuæ: 1. Proximorum miserijs tam

spiritualibus quàm corporalibus inti-

mè compati: 2. Velle, desiderare, ac

proponere opera misericordiæ spiri-

tualia eisdem exhibere, peccantes cor-

rigendo, ignorantes docendo, pro vi-

uis & defunctis orando. 3. Desidera-

Ggg

re si-

re similiter opera misericordiae corporalia, per se aliosq; erga eosdem exercere. Hi triplices misericordiae affectus, eò magis erunt meritorij, Deoq; gratiores, quò fuerint quoad *extensionem, intentionem & intensiorem*, perfectiores, seu quo latius se ad omnes omnium afflictorum miseras subleuandas extenderint: quo purius ex intuitu amoris Dei, & quo ardentius, quoad intimum compassionis & fraternae dilectionis affectum, ex intimis medullis cordium, cum desiderijs vires longè excedentibus fuerint frequentati. Quàm in his exercendis excelluerint tot sancti viri & foeminae misericordiarum, & praè omnibus Mater misericordiae, quae ipsum fontem omnis misericordiae nouè mensibus vtero gestauit: at quanto magis misericordissimus Patris misericordiarum Filius, qui ex infinita misericordia miseras nostras absque peccato suscipere, & per omnia fratribus assimilari dignatus est, vt misericors fieret. Feruor in intimis hisce misericordiae affectibus frequentandis proficiendi.

II. Quomodo externae misericordiae actiones piè, magisque meritorie sine ysurpandae: quae sunt, verbo, vultu, & facto

facto ipso intimum compassionis affectum demonstrare: opera misericordiae spiritualia, & corporalia proximis re ipsa exhibere, Nimirum 1. cū actuali intentione miseris tanquam Christi fratribus, cohæredibus, membris amore eius subueniendi. 2. Cum tenero intensoque commiserationis affectu. 3. Optimo quo potest modo, cum desiderio inexplebili, pluribus afflictis, largius, affectuosiusque succurrendi. Quanta cum perfectione hæc misericordiae opera frequentarint Sancti hac virtute conspicui, B. Virgo, Christus ipse, qui *pertransiit benefacien-* *Act. 10.*
do & sanando omnes oppressos à diabolo.
Feruor piè opera misericordiae externa obeundi.

III. Incitamenta, quorum 1. fit, quod misericordia nos maximè assimilet Deo, *Cuius miserationes super om-* *Psal. 144.*
nia opera eius. 2. Quod eam nobis Christus vnicè verbo & exemplo commendet: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* *Luc. 18.* 3. Quod eam in hac & in altera vita copiosè remuneret: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* *Et: Matth. 5.*
Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. *Superexaltat* *Iacob. 2.*

rat autem misericordia iudicium. Affectus iisdem.

XXVIII.

De Prudentia.

I. **E**Xpende in quo consistat Prudentia, & quomodo præcipue eius actiones perfecte exercende. Prudentia (prout includit ceu partes & comites, discretionem, docilitatem, sollicitudinem, circumspectionem) Est virtus intellectus practici, qua quis proposito sine status vita, alicuius virtutis, aut operis, media ad illum consequendum convenientissima per consultationem inquiri, per iudicium inuenit, & per efficax imperium discrete, sollicite, circumspecte, executioni mandat. Complectitur hos 4. præcipue actus, quorum tres priores interni, quartus externus. Primus est: Præconsiderare finem status vitæ, virtutis, aut alicuius operis, eumque ceu scopum in electione mediorum attentè, solliciteque intueri. 2. Inquirere media ad finem illum consequendum opportuna & convenientiora iuxta dictamen rectæ rationis, & normam legum diuinarum, & documentorum maiorum, consideratis omnibus circumstantijs seligere, per diuini luminis implorationem, practicam præcon-
fide.

siderationē, & consultationem. 3. Decernere media inuenta & selecta suo loco, tempore, modo, cum alijs debitis circumstantijs adhibere. 4. In omnibus particularibus casibus & occasionibus hęc media discretē, sollicitē, circumspectēque executioni mandare. Quanto cum glorię Dei & spiritualis profectus incremento, hi Prudentię actus possent ac deberent non solum in electione status, sed in omnibus negotijs & operibus dubijs, & maioris momenti aggrediendis perfectē adhiberi? 1. Cum *pura intentione* finis supernaturalis, maximē diuini honoris, obsequij & beneplaciti. 2. Cum *seria applicatione* intellectus ad inquirenda & seligenda media, non iuxta humanarum & caducarum, sed diuinarum & æternarum rationum momenta. 3. Cum *debita promptitudine* voluntatis proposita ab intellectu media accipiendi. 4. Cum *magno, constantiq; feruore* eadem perruptis omnibus difficultatibus strenuē constanterque adhibendi. His expensis excitandum desiderium sic prædictos prudentię actus frequentandi.

II. Quam præclare hos prudentię actus vsurparit Virgo prudentissima in

electione status virginitatis: in desponsatione cum Iosepho, in responsione ad legationem Angeli: tota vita in quouis opere dubio, & maioris momenti, vtendo imploratione gratia, practica præconsideratione, & iuxta æternas rationes cõsultatione: Et quidem eò præclarior, quò sublimius illuminata diuinitus agnouit semper in omnibus finem optimum, rationes quoque altissimas, media Deo gratissima. At quantò eminentius Christus hæc prudentiam semper exercuit, qui non indigebat cõsultatione, eum clarissimè semper optimum finem omnium, quæ fecit, dixit, passus est, nimirum honorem, amorem, & beneplacitum Patris, & reparationem humanæ salutis, & media conuenientissima in numero, pondere & mensura ab æterno præordina iugiter inueneretur. Zelus imitandi in pio vsu præconsiderationis practicæ, & debitæ circumspectionis in omnibus adhibendæ.

III. Incitamenta, 1. Quod prudentia sit quasi lux, dux, sal & condimentum omnium virtutum, qua sublata
Serm. 49. in Cant. iuxta D. Bernardum: *Virtus vitium erit* 2. Quod eam Christus infinita sapientia Patris suis discipulis toties cõ-

mendet, vti per Matthæum: *Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Et in parabola decem virginum, quarum quinque prudentes admittuntur ad nuptias, fatuæ reliquæ excluduntur. Et: *Habete* Marc. 9^o *in vobis sal.* Et per Apostolum: *Sermo* Coloss. 4^o *vester semper sit sale conditus.* 3. Quod neglectus horum actuum prudentiæ sæpè sit causa damnorum irreparabilium in statu temerè eligendo, alijsque rebus dubijs maioris momenti inconsideratè aggrediendis. Vnde monet Ecclesiasticus: *Sine consilio nihil facias,* Eccl. 32^o *& post factum non poenitebis.* Affectus idem.

De Iustitia.

XXIX.

I. **E**Xpende in quo consistat Iustitia. Latè sumpta, & quomodo præcipuæ eius actiones perfectæ exercendæ. Iustitia prout complectitur religionem erga Deum, pietatem erga parentes, patriam, sanguine iunctos, obseruantiam erga maiores, amicitiam & affabilitatem erga æquales, Est virtus tribuens uniuique quod suum est: Deo cultum, Parentibus & Maioribus honorem & obsequium: amicis mutuam beneuolentiam, æqualibus debitum officium & decentem conuersationem, qua

Ggg 4

exclus

excludat blanditiem & morositatem. Cuius actus interni potissimum triplices, videlicet velle reddere quod suum est 1. Deo. 2. Maioribus 3. Aequalibus, sic possunt perfectè elici. 1. Volendo, desiderando ac proponendo reddere intellectu, affectu, re ipsa Deo omnis generis cultum ipsi debitum. 2. Maioribus & Superioribus omnibus omnè obseruantiam, reuerentiam, obedientiam, obsequium. 3. Aequalibus & inferioribus omnibus benevolentiam, affabilitatem, omnisque generis officium: idque *purè* ex intentione tum iustitiæ satisfaciendi, tum diuini beneplaciti complendi: Cum *intenso* conatu omnium virium mentis & corporis, omni meliore modo, quoad omnes circumstantias: *Magna cum constantia* inter quæuis occurrentia impedimenta, & indefessa promptitudine ad maiora ijsdem præstanda. Similiter actus externi his internis respondentes, qui sunt, facti ipso hæc prædicta Deo, maioribus, & aequalibus debita reddere, sic perfectè possunt exerceri. Conando omnibus & singulis integrè quod illorum est reddere, ex motu iustitiæ: magno conatu omnium virium mentis & corporis; conuenientissimo

ti modo, loco, tempore, cum alijs debitis circumstantijs, promptè & alacriter.

Quàm æquum, Deo gratum, nobisque & proximis fructuosum esset, si hæc omnia, quàm facilè possemus, tam studiosè obseruare conaremur! Feruor hos iustitiæ actus modo insinuato perfectè exercendi.

II. Quàm eximia cum perfectione hos omnes iustitiæ actus tum intellectu & affectu, tum opere ipso frequentârint Sancti iustitiæ studiosissimi, maximè B. Virgo, speculum iustitiæ, tum quod longè perspicacius præ omnibus, quid cuique deberetur, agnosceret, tum quod maiore zelo diuinæ voluntati semper & in omnibus gratificandi flagraret. Zelus æmulandi.

III. Incitamenta, 1. Quod iustitia homines iustos, Deo similes & amabiles reddat, iuxta illud: *Iustus Dominus Psal. 103. & iustitiam dilexit. Et: Dominus diligit Psal. 45. iustos. Et: Abominatio est Domino via Prou. 15. impij, qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.* 2. Quod eosdem beatos reddat, & mira dulcedine repleat, iuxta regium Vatem: *Beati qui custodiunt iudicium & Psal. 105. faciunt iustitiam in omni tempore. Et: Iusti epulentur & exultent in conspectu Dei,*

Ggg s & de-

& delectentur in latitia. Quin & ab
 ipsa Veritate: Beati, qui esuriunt & si-
 tiunt iustitiam, pronuntiantur. 3. Quod
 per legem naturæ scriptam in cordi-
 bus nostris, per legem Mosaicam &
 Euangelicam eadem nobis summè in-
 culcetur. *Deut. 25.* Nō habebis in sacculo tuo diuer-
 sa pōdera, abominatur enim Dominus Deus
 tuus eum, qui facit hæc, & auersatur omne
 iniustitiam. Et: Reddite qua sunt Cesaris
 Cesaris, & qua sunt Dei, Deo. Et: Reddite
Matt. 22. ergo omnibus debita, cui tributum, tribu-
Rom. 13. tum; cui vectigal, vectigal; cui timorem,
 timorem; cui honorem, honorem. Feruor
 proficiendi in Iustitia.

XXX.

De Religione.

I. **E**Xpende quid sit, & quomodo
 eius actus interni piè eliciendi.
 Religio est virtus, qua Deo tanquam om-
 nium Creatori ac Domino debitum honorè,
 cultumq; exhibemus. Cuius actus inter-
 ni principales sunt hi triplices. 1. Alè
 de Deo sentire, profundeq; se illi sub-
 mittere. 2. Velle ac desiderare omnia
 diuini cultus exercitia deuotè obire.
 3. Velle ac proponere omnes aliarum
 virtutum actiones, tam internas quàm
 externas, ex motiuo religionis frequē-
 tare: qui sic cum eximia perfectione
 pos-

possunt exerceri, 1. *Amplissimè* de Deo, diuinisq; eius perfectionibus, iudicijs, decretis, operibus, permissionibus, beneficijs, fideiq; mysterijs omnibus sublimissimè sentiendo, hæc omnia reuerenter suspiciendo, laudando, magnificando: Omnia diuini cultus obsequia, & deuotionis exercitia, vti sunt tremèdi sacrificij, & sui ipsius oblatio, sacramentorum susceptio & administratio, adoratio cū intima mentis & corporis submissione, oratio seu decentium à Deo petitio, obsecratio, seu instans per infinitas Dei perfectiones, Christi infinita merita, B. Virginis & Sanctorū suffragia, efflagitatio, Dei laudatio, gratiarū actio, votorū emissio, & subinde iuramenti in necessitate cum magna reuerentia vsurpatio; hæc inquam omnia tempore suo promptè, pieq; obire desiderando: omnes demū virtuosas actiones, omnes cogitationes, desideria, verba, opera ad diuinum honorē & gloriam semper referre proponendo. 2. *Purissimè* in his omnibus non vllum suum honorem, commodum, solatium; sed vnus Creatoris honorem, cultum, & obsequium spectando. *Intensissimè* hæc præstare desiderando omni possibili reuerētia, sub-

missionis, deuotionis affectu. 4. *Constantissimè* inter grauissimas etiam tentationum, ariditatum, desolationum, persecutionum tempestates. 5. *Insa-riabilissimè* infinitum, si fieri posset, perse omnesque alios infinitæ Maiestati Dei cultū exhibere desiderando. Quā eximiè hos omnes affectus frequentarint B. Virgo vas insigne deuotionis, ob sublimem excellentiæ Creatoris, & vilitatis creaturæ cognitionem; at quantò sublimius Christus Dominus ob longè sublimiorem! His perpensis hi interni affectus religionis prolixius exercendi.

II. Quomodo externi actus, qui sunt, hos triplices dictos affectus opere ipso exprimere, sint piè frequentandi: Nimirum 1. internum de Deo, diuinisq; rebus sublimem, submissumq; sensum verbo & opere pro re nata prodendo. 2. Omnia dicta deuotionis exercitia perfectè obire conando. 3. Omnia externa opera tanquam ad honorem Dei directa exactè decenterque peragere nitendo: atque hæc omnia præstando ex pura diuini honoris & obsequij intentione, debita cum attentione intellectus, deuotione voluntatis, & contentione omnium virium mentis & cor-

corporis; conuenienti modo, loco, tempore, cum exteriori decentia, omniumque ædificatione. Quàm eminenter hæc quoque obseruauit B. Virgo in his externis religionis exercitijs obeundis, paruula Deo ministrans in templo, 33. annis conuersans cum Filio, post eiusdem ascensionem vacans sibi & Deo! Quantò eminentius hæc præstitit erga Patrem æternum deuotissimus Filius in templo orans & docens, ementes, & vendentes inde eiciens, in deserto, in monte, alibiq; in oratione pernoctans, in horto prostratus calicem passionis deprecans! Feruor externa religionis exercitia piè, exactèq;e peragendi.

III. Incitamenta, Quorum 1. est, *Infinita diuina Maiestatis excellentia.* infinito cultu, honore, obsequio dignissima. 2. *Ipsa conditio creatura rationalis,* quæ ideò condita, vt quoad intellectum, voluntatem, vires mentis & corporis omnes, se Creatori submittat, eiusque cultui & gloriæ se totam impendat, modo quo potest excellentissimo. 3. *Exemplum SS. Angelorum & Beatorum omnium æternum Deum adorantium, laudantium, Sanctus, sanctus, sanctus* submississima cum reuerē-

tia concinentium. Zelus proficiendi in glorificando Deo per actus religionis.

XXXI. De Proprietatibus, Gradibus, & Fundamentis perfectæ Obedientia.

I. **E**Xpende qualis esse debeat perfectæ obedientia (qua est Virtus, qua exequimur iussa & præcepta Maiorū, quia præcepta sunt. Vel, Est Virtus inclinans propriam hominis voluntatem ad implendam voluntatem alterius præcipientis.) Nimirum Recta & simplex, quoad intentionem, nō aliud quàm parere & Deo placere intendendo; Cæca & humilis, quoad intellectum, Superiorum iussas nisi manifestè in ijs peccatum cerneretur, non iudicando nec improbando; Prompta & hilaris, quoad voluntatem, libenter & alacriter se voluntati Superioris conformando; Velox, integra, fortis & constans, quoad executionem, omnia iniuncta velociter, integrè, fortiter, & constanter adimplere conando. Quàm perfectè habuit has omnes conditiones obedientia Sanctorum in hac virtute excellentium! Feruor ad tam perfectam obedientiam contendendi.

II. Qui sunt præcipui gradus obedientia;

endi
gio-
Eun-
erfo-
qua
quia
mans
plen-
Ni-
ter-
Deo
nilis
ullas
ere-
do-
em,
upe-
gra,
em,
gre,
e co-
as o-
cto-
Fer-
tiam
lien-
tia;

tia; qui è plurimis assignari solitis ra-
tione personarum præcipientium, re-
rum præceptorum, intensiõis obedi-
entia, & intentionis, ad hos triplices
videntur posse reuocari. Quorum duo
priorès imperfecti, postremus perfe-
ctus. 1. est: Parere Superioribus bonis
& discretis; in omnibus in virtute obe-
dientia expressè iniunctis; integrè
quoad executionem, non quoad volun-
tatis & iudicij cum Superioris volun-
tate & iudicio conformationem; nec
ingruente magna difficultate & tenta-
tione; ob metum pœnam inobedien-
tibus debitam incurrendi. 2. Parere
Superioribus etiã indiscretis & disco-
lis; in omnibus, absq; manifesto præ-
cepto, ab iisdem insinuatiss; quoad exe-
cutionem integrè, & quoad voluntatis
proprie abnegationem etiam libenter;
in rebus etiã arduis fortiter, non tamẽ
absq; magna difficultate: ob spem præ-
mij obedientibus promissi. 3. Parere
non solum Superioribus, sed omnibus
etiam æqualibus & inferioribus, tam
indiscretis & discolis, quàm bonis &
modestis, nomine Superioris aliquid
iubentibus: in omnibus omninò, quæ
Superiori placere deprehenduntur, abs-
que vllò expresso præcepto, nutu &
signo:

signo:

signo: integrè & velociter quoad executionem; promptè & cœcè quoad perfectam voluntatis & iudicij proprij cum voluntate & iudicio Superioris conformationem: constanter & hilariter quavis occurrente difficultate, tentatione, desolatione; ob nudum Dei per Superiores præcipientis beneplacitum. Quàm sublimis est hic obedientiæ gradus! quàm perfectè hunc conscenderunt tot obedientiæ laude clari, maximè Regina omnium in obedientia perfectorum! quantò eminentius eundem transcendit Filius Dei factus omnibus sibi obtemperantibus causa salutis, & exemplar omnis perfectionis! Feruor ad hunc gradum aspirandi & connitendi.

III. Quæ sint fundamenta huius perfectæ obedientiæ, Nimirum hæc tria:
 1. Quod in quouis legitimo Superiore tanquam Dei vicario, & diuinæ voluntatis interprete, non sit considerandus talis homo, tali modo imperans, sed Deus, cuius vices gerit, nos per eum sua diuina prouidètia gubernans.

Luc. 10. Iuxta illud Christi: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit* Et illud Apostoli: *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate*

tate cordis vestri, sicut Christo. 2. Quod omnia legitimi Superioris, quæ non sunt contra Deum, agnoscenda & amplectenda sint tanquam iussa Dei nobis per Superiorem voluntatem suam infinuantis, iuxta illud Christi: *Super Matt. 23. cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei: omnia ergo quæ dixerint vobis facite.* Et illud Apostoli: *Quod unque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus.* Et: *Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* 3. Quod nihil à Superiore legitimo, etiam indiscreto, quantumvis durum & asperum imperetur, absque nutu aut permisso Dei, absque cuius voluntate nec capillus de capite, nec folium de arbore cadit. Qui has veritates profundè penetrat, & recenti memoria versat, facilem sibi ad supremum obedientiæ culmen aditum patere apprehendet. Desiderium his fundamentis in obediendo piè utendi, exemplo Sanctorum, maximè Christi, & B. Virginis nos ad emulandum inuitantium.

De actibus Obedientiæ & Inci-
tamenti.

XXXII.

I. **E**Xpende quo modo præcipua-
ctus interni obedientiæ sint per-
fectè

fectè eliciendi (qui sunt hi triplices :
 1. In quouis legitimo Superiore agnos-
 scere & reuereri Deum. 2. Eiusdè im-
 perium & nutum acceptare tanquam
 diuinum beneplacitum. 3. Eidem vel-
 le ac proponere obedire vt Christo,
 quoad intellectum, affectum, execu-
 tionem) nimirū more consueto. 1. *Late*
 quoad extensionem ad omnes Superi-
 ores, aut vices eorum supplentes, ad
 omnia iussa, quæ nō sunt Deo contra-
 ria. 2. *Purè*, quoad intentionem diui-
 ni beneplaciti adimplendi. 3. *Intensè*,
 quoad eximium conatum in absoluta
 voluntatis & iudicij abnegatione, ex-
 actaque operis imperati executione.
 4. *Constanter & fortiter*, quoad victori-
 am omnium occurrentium difficulta-
 tum. 5. *Inatiabiliter*, quoad inexhau-
 stum perfectius indies parendi cuius
 homini propter Deum in omnibus li-
 citis desiderium. Quàm facilè & quā-
 to gratiæ incremento hi affectus pos-
 sent frequentari, & per eosdem sic fre-
 quentatos habitus obedientiæ mirum
 in modum intendi? His ponderatis
 affectus ijdè prolixius exercendi,
 per consueta quintuplicia suspiria iu-
 xta indust. meditandi.

II. Quomodo actus externi obedien-
 tiæ

tiæ piè meritorieque exercendi, qui
sunt hos triplices internos affectus ver-
bo & opere ipso exprimere: videlicet
1. ipso loquendi modo & externa re-
uerentia demonstrando, nos in quouis
Superiore Deum agnoscere & venera-
ri, nec tã attendere, quales habeat do-
tes naturæ & gratiæ, sed potius quod
vices gerat diuinæ nos gubernantis
providentiæ. 2. Omnia iusta eius im-
peria acceptando, probando & ample-
tendo, non secus ac si Christũ nos cor-
tam monentem audiremus: Hoc ego
præcipio; hoc volo vt mei amore faci-
as. 3. Omnia integrè exequi conando,
quæ fuerint imperata: atq; hæc omnia:
prestando ad implendum diuinum be-
neplacitum; cum debita voluntatis &
iudicij proprii submissione, omniũq;
virium strenua contentione, inuicto
animi robore & constantia, cum de-
ceti velocitate, alacritate & hilaritate.
Quàm sublimiter hos vtrosque actus
internos & externos exercuit B. Virgo
consentiens in Incarnationis mysteriũ
sibi annuntiatum, Iosephi sponsi non
recusans imperium, fugiens in Æpy-
ptum! Quatò sublimius Filius eius,
cuius tota vita assiduum fuit perfectif-
simæ obedientiæ exercitium! Idque
tum

tum

tum ob eminentissimam prædictorum obedientiæ fundamentorum penetrationem, tum ob ignitissimum diuini beneplaciti semper & in omnibus perfectissimè complendi desiderium. Feruor hos externos obedientiæ actus pie frequentandi.

III. Incitamenta, quorum 1. sit, quod obedientia sit præcipuū medium prædestinationis, quod omnia alia penè includit, ijsque, qui sub obedientia viuunt, suggerit. vnde & Christus ipse primogenitus prædestinatorum de se per Psalmistam ait: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatē tuam, volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Psal. 39.

2. Quod sit excellentissimum diuine Maiestati holocaustum, iuxta illud:

1. Reg. 15.

Melior est obedientia quam victima. Vnde rectè D. Thomas: Nihil maius potest homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipsum alterius subiciat voluntati. 3. Quod sit breuis, suavis & secura ad cælum via, iuxta illud Christi:

Matthi 7. Ite: Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Zelus proficiendi in perfecta obedientia.

De proprietatibus, gradibus, & fundamentis gratitudinis. XXXIII.

I. **E**Xpende quas conditiones requirat perfecta gratitudo, maximè erga Deum (quæ definitur ab Alberto Magno : *Extollentia donorum Dei in anima cum annihilatione sui, & debita cordis reuerentia*; à P. Iacobo Alvarez: *Virtus, qua quis beneficia accepta agnoscit, laudat, & pro possibilitate remunerare decernit.* Nimirum 1. vt *Recta* sit, non tam beneficia quàm benefactorem ipsum respiciens, nec tam propriam vtilitatem, quàm illius laudè spectans. 2. Vt *Magna* sit, ad omnia beneficia tam minima quàm maxima se diffundens, cū intenso grati animi affectu, & inexhausto eam compensandi desiderio. 3. Vt *Constans* sit, in prosperis & aduersis eadem perseuerans. Quàm perfectè has conditiones habuerit gratitudo Sanctorum in hac virtute præcellentium. Feruor proficiendi in perfecta hac gratitudine.

Parad.
c. 26.

II. Qui sint præcipui illius gradus, videlicet hi triplices, quorum postremus perfectus, reliqui imperfecti.

1. Gratum esse pro maioribus & manifestioribus donis ac beneficijs Dei,

no-

nobis proximisq; collatis, vti creatio-
nis, redemptionis; tempore prosperi-
tatis, pacis, consolationis; ex timore
pœnæ. 2. Gratum esse etiam pro mi-
nimis beneficijs, nō tamen pro aduer-
sitatibus ærumnisq; à Deo immis-
sis, vel permissis; etiam tempore aduer-
satis, belli, & desolationis, sed nō absq;
gravi lucta; ob spem mercedis. 3. Gra-
tum esse pro omnibus etiam quibusuis
ærumnis, angustijs, afflictionibusque
à Deo, ad suam, Electorumq; gloriam
permissis; in quibusuis consolationū,
& desolationum vicissitudinibus, cum
alacritate & gaudio; intuitu solius
gloriæ Dei. Quam feliciter ad hunc
tam sublimem gradum conscenderunt
eximij Sancti, cum D. Iob, in quibus-
cumq; ærumnis, persecutionibus, tor-
mentis exclamantes: *Sit nomen Domini*
benedictum. Et cum Psalmista: *Benedi-*
cam Dominum in omni tempore. Et cum
D. Paulo in tribulationibus glorian-
tes! Quanto sublimius supra omnes
B. Virgo? & quanto interuallo supra
ipsum etiam Matrem, vnigenitus eius,
& æterni Patris Filius? Zelus ad hunc
supremum gradum gratitudinis con-
tendendi.

Iob. 1.

III. Quæ fundamenta sint huius per-
fectæ

fectæ gratitudinis erga Deum exercende. 1. Infinita Dei in beneficijs, donisque conferendis, insuper etiam in quibusvis aduersis ad bonum Electorum suorum permittendis *benignitas, liberalitas, charitas*, cui infinita debetur gratae mentis beneuolentia. 2. Ineffabilis *multitudo & magnitudo* tot donorum naturæ, gratiæ, gloriæ collatorum & conferendorum omnibus Electis ab æterno in æternum, quæ omnia infinita gratiarum actione forent compensanda. 3. Extrema hominis *vilitas & indignitas*, cui ex gratuita Dei liberalitate hæc omnia beneficia, & quidem ad finem adeò sublimem, tam largè communicantur. Quis attentè ponderans incenso non exardescat desiderio, se tanto Benefactori gratum pro viribus exhibendi? Feruor ex crebra horum fundamentorum ruminacione se ad gratitudinem exstimulandi.

De actibus Gratitudinis perfectè exercendis, & Incitamentis. XXXIV.

I. **E**Xpende quomodo perfectè queant elici gratitudinis actus interni, (qui suat i. Beneficium agnoscere,

scere, magni æstimare, humili gratosq;
 animo amplecti. 2. Benefactorem si-
 militer magni æstimare, intimè ama-
 re, laudare, ei que gratias agere. 3. Vel-
 le ac desiderare beneficium pro viri-
 bus compensare) videlicet more sepius
 commemorato; *Latè*, eos exercendo
 circa omnia beneficia nobis alijsque
 collata; *Purè* propter tam liberalem
 & beneficium Dominum; *Intensè* quo-
 ad gratitudinis affectum & gratiam re-
 pendendi conatum; *Constanter* in pro-
 speris & aduersis; *In/satiabiliter* cum
 heroicis supra vires desiderijs. Qui-
 bus perpensis elici poterunt ijdem af-
 fectus gratitudinis, hac vel simili ra-
 tione: Quis tam immensæ, infinitæ,
 interminatæ, incomprehensæ munifi-
 centiæ & liberalitati tuæ, Deus fons
 inexhauste omnium bonorum, pro
 tot, tam varijs, tam nobis necessarijs
 donis naturæ, gratiæ, gloriæ collatis,
 condignas referat gratias? Nulla crea-
 tura, imo nec omnes simul id poterunt
 in æternum. Ne tamen ego tot gratui-
 tis à te cumulatus beneficijs & gratijs
 existam ingratus, omnia mihi imme-
 renti, omnibusque maximè Electis
 collata & conferenda charismata tam
 corporis quam animæ, tam huius tem-
 poris,

poris, quam æternitatis, tanquam gra-
uita munera tua humiliter agnosco,
maximi æstimo, reuerenter accepto,
meq; tibi pro his obligatissimum, ijsq;
indignissimum esse fateor. Te libera-
lissimum horum cunctorum largito-
rem veneror, amore complector, lau-
do, & glorifico, tibiq; medullitus gra-
tias ago. Desidero ex totis præcordijs
meis innumera tua & inæstimabilia
beneficia, pro mensura virium naturæ
& gratiæ mihi à te communicatæ &
communicandæ, compensare, ijs piè
sancteq; ad tuam gloriam vtendo, in-
timè te redamando, eximie perfectio-
ni studendo, meque totum cum om-
nibus, quæ mihi dedisti, tibi redonan-
do, tuoque obsequio impendendo.
Atque hæc prædicta omnia præstare
desideto *Purè* propter te tam bonum &
beneficum infinita gratiarum relatio-
ne dignissimum, non ob spem nouorū
beneficiorum, aut metum supplicio-
rum; omni possibili gratæ mentis af-
fectu, teque laudandi & glorificandi,
& quouis modo munera tua compen-
sandi conatu. *Persseueranter* inter om-
nes rerum & temporum varietates, in-
ter extremas etiam angustias & ærum-
nas; cum incessabili demum, submis-

H h h

soque

soque perfectius hos affectus omnes frequentandi desiderio in perpetuas æternitates. Hæc eadem animus desideria elicerem, si possem, omnium hominum & Angelorum, imò etiam possibilium creaturarum possibili affectu. At quid hæc frigida mea desideria ad innumera illa tua beneficia? pro quibus proinde offero tibi omnes, omnium seruatorum tuorum *amplissimos, purissimos, intensissimos, constantissimos, insatiabilissimos* gratitudinis excessus, maximè B. Virginis, in vnione eorū, quos Mediator noster Christus Dominus noster olim infinite perfectos elicit in terris, elicitq; æternū in celis. O vtinam hos eisdem affectus mecum omnes, modo multò eminentiori elicerent nunc, semper, æternū! Doleo de mea, omniumq; pro tantis gratijs, tanta ingratitude.

II. Quomodo externi actus, qui sunt, hos internos verbo, & opere demonstrare, sint perfectè exercendi, videlicet 1. Verbis opportunè diuina beneficia extollèdo, indignis nobis collata palam profitendo, aliosque, vt ea agnoscant & magnifaciant, excitando. 2. Gratuitam Dei in nos, omnesque liberalitatem de prædicando, ad idem alios

alios exhortando : hymnos, psalmos, aliasque preces, continentes diuinas laudes pie frequentando. 3. Re ipsa accepta beneficia compensare conando, per pium eorum vsum iuxta diuinum beneplacitum, per assiduum perfectionis studium, per continuum dilectionis Dei & oblationis sui exercitium. Idque pura cum intentione, cum pia diuinæ liberalitatis ruminacione, & interiorum gratitudinis affectuum instauratione, cum magna alacritate & constantia. Quam perfecte hos omnes actus internos externosque exercuerit B. V. tot se extraordinarijs prerogatiuis à Deo ornatam cernens, maxime tot annis in templo, in Filij Dei cõceptione, natiuitate, resurrectione, in pia ex hac vita emigratione! At quanto perfectius Christus eosdem tota vita continuerit, à primo momento incarnationis, vsque ad postremum momentum vitæ mortalis, imò nunc æternum cum B. Matre, Sanctisque omnibus in cœlis! Idque ob sublimissimam predictorum fundamentorum gratitudinis, & diuinorum tot priuilegiorum naturæ, gratiæ, gloriæ sibi concessorum penetrationem; ardentissimamque infinitæ munificentæ & liberalitatis Dei

tam clarè cognitæ dilectionem. Feruor hos externos actus gratitudinis perfectè frequentandi.

*Serm. 2.
de 7. pa-
nibus.*

Solil. 18.

*Serm. 2.
in Cant.*

*Hom. 2.
in Matt.*

III. Incitamenta, 1. Quod gratitudo maximè Deo placeat, sicut maximè displicet ingratitude; vnde rectè D. Bernardus: *Nihil ita displicet Deo, præsentim in filiis gratia, quemadmodum in-
gratitudo.* 2. Quod sicut ingratitude est radix totius mali spiritualis, iuxta D. Augustinum, & ventus quidam deficcās, & vrens omne bonū, obstruens fontem misericordiæ super hominem; sic è contra gratitudo sit radix omnis boni spiritualis magis magisque indies fontem diuinæ misericordiæ referans, continuoq; ad maiora charismata impertienda Deum prouocans. 3. Quod sicut ingratitude est exinanitio meritum, virtutum dispersio, & beneficiorum perditio, iuxta D. Bernardum, sic gratitudo sit optima ratio meritum coaceruandi, virtutes acquirendi, gratias acceptas conseruandi. vnde rectè D. Chrysostomus: *Optima beneficiorum custos, est memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio.* Hæc seriò expendens vitium ingritudinis exhorresces, & zelo pertingendi ad supremum gratitudinis culmen exardesces.

Zelus

Zelus proficiendi in exercitio gratitudinis.

De Simplicitate & Veracitate.

XXXV.

I. **E**Xpende quid sit Veracitas seu Simplicitas, & quomodo quoad actus internos exercenda. Nimirum quod sit virtus *inclinans hominem ad omnem hypocrisim, duplicitatem, & multiplicitatem vitandam. Seu, qua quis & vita, & sermone talem se demonstrat, qualis est, & non alia, quam circa ipsum sunt, nec maiora, nec minora.* Cuius actus interni principales sunt hi triplices. 1. Talem se exterius verbis & factis, qualis interiorius est, exhibere velle. 2. Omnem astutiam, dolum, fraudem, æquiocationem, temerarium iudicium, & suspicionem abominari. Ab operum inutilium multitudine non necessaria alienum esse, omniaque in vnam simplicem Deo placendi intentionem referre. Qui sic possunt exerceri: 1. Desiderando sincerè cum omnibus agere instar innocentū puerorum, idē corde sentire & ore promere, candidè se suis Superioribus aperire, nihil eos celare, ignorantiam, defectus, & errata sua nō excusare, non tegere, sed ingenuè prore nata fateri. 2. Proponendo horre-

H h h 3

re &

re & fugere omnem speciem mendacij, nec deliberatè velle mentiri, nec fidem datam violare pro salute totius mundi, abominari omnem astutiam, hypocrisim, fraudem, dolum, æquiuocationem, non temerè iudicare, nec in peiorem partem dicta & facta aliorum trahere. 3. Optando & decernendo in omnibus cogitationibus, desiderijs, dictis, factisque ad vnicum Dei beneplacitum tanquam scopum vltimum simplici intentionis oculo collimare: Atque hæc omnia volendo & proponendo præstare semper, in omnibus euentibus, omni oblata occasione: ex puro synceritatis & increatae veritatis amore: cum eximio & plusquam puerili candore: inuicta cum constantia, etiam inter persecuciones & tormenta. O quam rara & cara talis in mundo simplicitas! sed & quam mira & magna eiusdem coram Deo pretiositas! Zelus ad hanc perfectam simplicitatem aspirandi.

II Quo pacto eadem exercenda sit quoad actus externos, qui sunt, hos triplices affectus internos verbis & factis exhibere: videlicet cum simili puritate intentione, puerili candore, virili constantia, quauis oblata occasione
hanc

hanc verborum, operum, intentionum simplicitatem præ se ferre. Quàm eminuerit hae columbina simplicitate B. Virgo, cuius inæstimabilis verborum, operum, & intentionum sinceritas longè omnem infantilem, & angelicam innocentiam superabat: quantò amplius is, qui est ipsa Veritas increata, candor lucis æternæ, in cuius ore nec dolus, nec mendacium vnquam fuit, nec esse potuit, cum ob vnionem hypostaticam impeccabilis fuerit? Feruor crescendi in exercitio veræ simplicitatis & sinceritatis.

III. Incitamenta. 1. Quod hæc candida simplicitas mirè diuinum fauorem, dupliciter contra odium sibi conciliet, iuxta illud: *Abominatio Domino Proth. 3. omnis illusor. & cum simplicibus sermocinatio eius.* 2. Quod eadem amabilis sit Angelis, in quibus nulla vnquam dupliciter locum habuit, qui vti innocentes paruulos, ita simplices omnes & candidos tanquam sibi Deoque simillimos tenerrimè diligunt 3. Quod eadem sinceritas omnes, etiã impios, subdolos, hypocritas, in admirationem, amoremque rapiat, mireque ædificet. Affectus ijdem.

XXXVI.

De Liberalitate.

Quomodo sit exercenda liberalitas (qua est virtus, qua quis immo-
 derato bonorum suorum ac talentorum a-
 more deposito ea alacriter, affluenterque in
 propriam ac proximorum utilitatem, atque
 in cultum divinū impendit) quoad actus
 quidem internos. 1. Volendo ac pro-
 ponendo bona sua temporalia hilari-
 ter, affluenter, & prudenter in suam
 aliorumque necessitatem, & honorem
 Dei sumere. 2. Bona spiritualia do-
 ctrinae, scientiae, eloquentiae, pruden-
 tia, & similia sibi communicata simili
 modo alijs impertiri. 3. In omnibus
 omnimodae perfectionis exercitijs, di-
 uinisque obsequijs, quibus divina
 gloria potest promoueri, liberalem se
 exhibere. Quoad actus verò exter-
 nos, haec praedicta tria opere ipso erga
 quoscunque potest, praestando, & qui-
 dem gratis, non intuitu remuneratio-
 nis, magno beneuolae mentis affectu,
 blando hilarique vultu, cum inexple-
 bili fame pluribus, crebrius, affluen-
 tius, promptiusque beneficiendi. Si
 sic dona à Deo tibi impertita cum alijs
 liberaliter communicares, quantum
 meritorum thesaurum tibi coacerua-
 res.

res? His consideratis eliciendi dicti affectus interni liberalitatis, cum propositis externos eius actus superaddendi.

II. Quàm perfectè hos liberalitatis actus exercuerit B. Virgo, cuius tam ingens erga Deum, omnes proximos charitas! tanta de omnibus bene merendi cupiditas! quantò perfectius Filius Dei, qui ex infinita liberalitate sua, non solum tam liberaliter charismata sua nobiscum communicavit: sed seipsum tot modis in socium, Magistrum, Pastorem, cibum, Sacrificium, pretium, præmium nobis ex gratuita benignitate & munificentia donare est dignatus! Zelus se vicissim erga Christum, omnesque proximos eius per gratiam fratres, liberalem exhibendi.

III. Incitamenta. 1. Quod liberalitas nos efficiat similes aeterno Patri, qui tam liberalis erga omnes: *Dat omni Iacob. x. 1. bus affluenter, & non improperat: Solem. Matt. 1. suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. & vnigenito eius Filio, qui pertransijt benefacien- Act. 11. do: Vnde rectè D. Gregorius Nazianzenus: Nihil tam diuinum homo ha- amore! bet, quàm de alijs benè mereri. 2. Quod pauperū.*

H h h 5 pro-

Luo. 6.

prouocet Deum ad liberalitatem suam vicissim nobis largissimè exhibendam, nec enim finit liberalitate se vinci Creator à creatura. 3. Quod ingens mereatur gloriæ incrementum, iuxta illud Christi: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Feruor in liberalitate proficiendi.

XXXVII.

De Fortitudine.

I. **E**Xpende quid sit Fortitudo, & quomodo exercenda. Fortitudo est virtus inclinans ad quæuis ardua, mortisq; pericula suscipienda & perferenda fortiter, ut neque prauè timendo, neque temerè audendo ab honesto discedatur. Veli. Est virtus qua motus animi illi aduersantes, scilicet timorem, ignauiam, timoris vacuitatem, audaciam, tristitiam in rebus horribilibus, max. mè in periculis mortis sustinendis & repellendis moderatur. Quæ sic perfectè potest exerceri, quo ad actus quidem internos i. Volendo & desiderando quæuis ardua fortiter aggredi & amplecti, subire quosuis labores, molestias, & adia, pericula,
ma.

maximè ob defensionē cuiuscunq; virtutis. 2. Proponendo nihil unquā ob quascunq; difficultates, & tentationes occurrentes Deo contrarium admittere. 3. Statuendo in aduersis mentis tranquillitatem conseruare, tribulationes, dolores, tormenta, mortem imperterritè oblata occasione sustinere: idque amore honesti supernaturalis & diuinæ Maiestatis, inuictō animi robore, infracta constantia, & heroica promptitudine ad difficiliora aggredienda & ferenda. Quoad actus verò externos simili modo eadem verbo & facto ipso præstando. His expensis desideria insinuata sunt elicienda.

M. Quam præclarè hanc fortitudinem exercuere tot inuicti Martyres, maximè Regina Martyrum, passionem Alij ex prædictione Simeonis præuisam iugiter considerans: eidem patienti compatiens: morienti intrepido resignatoque animo astans! quando porrò sublimius Christus tota vita iugiter que passurus erat clarissimè intuens; ad passionem properans: angores, persecutiones, opprobria & tormenta omnia intrepidè tolerans! Zelus imitandi.

III. Incitamenta. 1. Quod Christus nos ad exercitium huius virtutis verbis excitet: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

2. Exemplo suo, & tot millium Martyrum, in quibus ipse mortem, mundum & diabolum triumphauit, ad idem inflammet.

3. Promissis in super æternæ vitæ inuitet: *Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam.* Feruor in hac Christiana fortitudine proficiendi.

XXXVIII.

De Magnanimitate.

I. **E**Xpende quid sit & quomodo exercenda. *Magnanimitas est virtus, qua magna, & honorifica opera ob finem virtutis aggrediens honorem non ambit, & oblatum contemnit. Vel, Est virtus in omni genere virtutum inclinans ad opera magna & heroica, consentanea animo magno, magna gratia adiuto, magnis premijs illecto: cui opponitur praesentia cum ambitione & inani gloria, & pusillanimitas. Hæc sic potest exerceri, quoad actus quidam internos.*

1. Desiderando cum Dei gratia ad supremum gradum triplicis perfectionis.

nis aspirare, per media quantumvis ardua: nec mediocri perfectione esse contentum, sed in omni genere mortificationis & virtutis per actus heroicis ad summam perfectionem contendere. 2. Statuendo neque minis, neque præmijs, neque favore hominum, neque alijs difficultatibus dimoueri se sinere à recto eximia virtutis & perfectionis tramite. 3. Volendo in his omnibus solam Dei gloriam, obsequium, beneplacitum, & verum æternūque in cælo honorem spectare, humanos verò honores non appetere, nec eos nisi coactè ad Dei gloriam, & ob meritū obedientiæ suscipere. Quoad actus verò externos hæc tria re ipsa præstare conando: Idque *purè, intensè, constantè, insatiabiliter* more consueto. His consideratis prædicta desideria elicienda.

II. Quàm eminenter hæc Magnanimitas resplenduerit in B. Virgine, quæ semper contendebat summè Deo placere eximia vitæ sanctitate: inaximè ardua facere & pari amore dilecti infinito amore dignissimi: idque gratis ex purissimo dilectionis affectu, non vlllo alio intuitu: Quantò eminentius in Christo, qui in omnibus, quæ cogi-

tauit, voluit, dixit, fecit, passus est, hanc exercuit, cum in his omnibus perfectissimè semper honorem & beneplacitum æterni Patris spectârit, summè ei semper placere contenderit, plura & magis ardua semper facere & pati desiderarit! Zelus imitandi.

III. Incitamenta, I. Quod Deus magnanimos, magna amore sui molientes, humanos fauores & caducos honores contemnentes, mirificè in hae vita soleant magnis consolationibus, fauoribus, gratijs cumulare.

2. In hora mortis magnam ijs in se confidentiam & moriendi securitatem tribuere.

3. In altera vita magnis gloriæ prærogatiuis remunerare. Feruor in hac magnanimitate proficiendi.

XXXIX. De Patientia & longanimitatis conditionibus, gradibus, fundamentis.

I. **E**Xpende patientiam (quæ quatenus longanimitatem includit, est virtus inclinans ad mala huius sæculi æquanimiter, longo etiam tempore toleranda, eorumque remedia diu dilata, à Domino lon-

longanimiter expectanda) has, vt perfecta fit, valdeque Deo grata, requirere condiciones. 1. vt *Recta* sit quoad intentionem non solum honestatis huic virtuti propriæ, sed etiam diuinæ gloriæ. 2. *Magna* sit extensiuè, seu extendens se ad omnia huius vitæ aduersa, vndecunq̄e proueniant, siue à Deo peculiariter immittantur, siue à diabolo, siue ab hominibus tam probis, quam improbis inferantur, siue à nobis ipsis proficiantur. *Magna* item intensiuè, seu ita intensa per frequentatos actus, vt facile possit magnos etiam variarum ærumnarum impetus sustinere. 3. *Fortis & Constans*, seu infracta inter quosuis aduersitatum fluctus perseuerans.

Quam excellenter has condiciones habuit patientia tot Sanctorum, qui huius virtutis laude claruerunt, vt Iobi, Tobia, Apostolorum, Martyrum! Zelus ad hanc patientiæ perfectionem contendendi.

I. Gradus eiusdem expende, qui sunt hi tres. 1. Omnes huius vitæ miseriae & tribulationes vndecunq̄e prouenientes patienter tolerare, ac impatientia Deum offendendo
pœnam

pœnam incurramus. 2. Easdem sustinere libenter, vt hac ratione maiorem in cœlo coronam acquiramus. 3. Gaudenter easdem excipere obuijsq; vlnis amplecti, vt Christo patiēti similiores euadamus, magisque placeamus. Quā rari qui primum & secundum gradum patientiæ, quamuis imperfectum, perfectè conscendant! quantò rariores, qui supremum attingant! ad quem tamen omnibus, maximè ijs, qui maioribus diuinæ gratiæ præsijs abundāt, omnibus neruis est contendendum. Fernor ad supremum patientiæ gradum anhelandi.

III. Fundamenta exercitij perfectæ patientiæ, quæ sunt. I. Quod omnes vitæ ærumnæ & afflictiones, siue animam, siue corpus, siue famam, siue bona externa concernentes, vndecunq; que Electis obtingant, tanquam filijs à Deo æquissimo & potentissimo vniuerso sum Domino, sapientissimo prouisore, amantissimo Patre, veluti singularis suæ prouidētix & amoris erga eosdem indicia, & efficacia eorū prædestinationis media, ex eterno gratuitoque infinitæ dilectionis affectu immittantur, aut permittantur, vti patet ex fundamentis resignationis supra probatis. Quod

Quod omne id, quod in hac vita patimur, aut pati possumus modicum, leue, & momentaneum sit, 1. Respectu peccatorum nostrorum tot, & tam grauium. 2. Respectu suppliciorum æternorum, aut temporalium ijsdem debitorum. 3. Respectu eorum, quæ amore nostri dignatus est pati filius Dei. 4. Respectu solatorum, quibus remunerare solet Deus eximiam patientiam suorum seruorum in hac vita. 5. Respectu eorum præmiorum, quibus eadem coronare paratus est in futura.

Quam profundè has veritates penetrant Sancti patientia clari! Quâto profundius patiētissima & profundissima Regina Martyrum & Doctorum! Quanto supra omnes puras creaturas adhuc profundius increata Sapientia Patris, absolutissimæ patientiæ speculum! Zelus intuitu harum veritatum eximiam Sanctorum, B. Virginis, & ipsius Christi Domini patientiam imitandi.

De actibus Patientia, & Incitamentis. XL.

I. **E**Xpende quo pacto actus interni Patientiæ perfectè queant elici: qui sunt hi quadruplices: Velle desiderare, proponere æquo, libenti, hilarique

rique

riq̄ue animo tolerare omnes huma-
nas miseras concernentes 1. Ani-
mam. 2. Corpus. 3. Famam. 4. Bona ex-
terna: Nimirum hoc similive modo.
1. Volendo ac proponendo de ma-
nu Dei acceptare omnes mentis ob-
tenebrationes, ariditates, desolatio-
nes, anxietates, tentationes quascum-
q̄ue ille obtingere permiserit. 2. Om-
nis generis molestias corporis do-
lores, morbos, cruciatus. 3. Omni-
genas humiliations, reprehensiones,
calumnias, opprobria, iniurias unde-
cunq̄ue eas inferri contigerit. 4. Di-
reptionem rerum temporalium, pe-
nuriam rerum necessariorum, & dam-
na quæcunq̄ue nostris & amicorum
bonis illata: atque hæc & omnia
alia ad crucem Christi pertinentia
sustinere, imò amplecti & exosculari,
tanquam flagella amantissimi Patris,
monumenta peculiaris amoris, &
media æternæ nostræ prædestinatio-
nis, non tam intuitu supplicij aut
præmij, quam puri amoris Dei, &
zeli Christum æmulandi: non tan-
tum æquo pacatoq̄ue animo, sed
alacri & gaudenti cum exultatione &
gratiarum actione: cum insuperabili
COR.

constantia, quantumuis multiplicentur, & intendantur aduersa: Demum cum insatiabili auiditate, amariore tribulationum calices amore Christi vsque ad fundum ebibendi. Quanta pretij & meriti sunt tam heroica patiendi, desideria! & tamen quam facile possent cum diuina gratia frequentari! His ponderatis ijdem actus interni modo indicato prolixius elicendi.

II. Quomodo actus externi quadruplices, internis correspondentes exercendi, nimirum quadruplicia illa desideria opere ipso complendo, quouis oblata occasione: omnia aduersa de paterna manu Dei acceptando, sereno vultu, placido ore, pacato animo, cum alacritate & gaudio, in omnibus Deum laudando, gratias agendo, ad grauiora se promptè offerendo. Quam heroicè hos internos externosque patientiæ actus frequentauit Mater dolorum in turbatione Iosephi Sponsi: in cæde innocentum, & fuga in Ægyptum: in amissione duodenis filij: in eiusdem passione: in molestijs huius exilij tot annis resignato, hilarique animo tolerandis! Quantò perfectius vir dolorum in tot priuatæ.

privatæ vitæ tædijs, ærumnisque 30. annis exantlandis: in tot fatigationibus & persecutionibus tempore triennialis prædicationis sustinendis: in tot angoribus, cruciatibus, opprobrijs tempore amarissimæ passionis tolerandis! Zelus imitandi.

III. Incitamenta 1. Quod tolerantia omnis generis aduersitatum sit peculiaris Dei erga Electos amoris indicium.

1. Pet. 4.

Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloria eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. quoniam quod est honoris, gloria & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit.

Luc. 24.

Act. 14.

2. Quod sit regia ad cælum via, quam Sanctus Sanctorum, & omnes electi, ad insignem vnquam gloriam euecti, tenuerunt, iuxta D. Lucam. Nonne oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? &: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. & iuxta

2. Tim. 3.

Apostolum: Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

3. Quod sit efficacissimum medium breui tempore eximiam gloriæ coronam promerendi. Iuxta Apostolum:

Id

Id quod in presenti est momentaneum & 2. Cor. 4.
 leue tribulationis nostrae, supra modum in
 sublimitate aeternae gloriae pondus opera-
 tur in nobis.

De Constantia.

XLI.

I. **E**Xpende quomodo valdè merito-
 ricè sit exercenda Constantia (Qua
 est virtus inclinans ad stabiliter perseue-
 randum in bono, superatis omnibus impedi-
 mentis usque ad finem, cui aduersatur per-
 tinacia in malo, & inconstantia in bono.)
 Quoad actus quidem internos sic, 1.
 Nolendo statum studiumque perfe-
 ctionis semel susceptum, modumque
 virtuosè viuendi, & in spiritu profici-
 endi, vnquam deserere. 2. Desiderādo
 in affiduo triplicis perfectionis aut
 cuiusvis virtutis studio constāter pro-
 gredi, nec ob vllam difficultatē quic-
 quā de feruore remittere. 3. Proponē-
 do quosuis labores, molestias & re-
 moras in studio eximiae perfectionis
 occurrentes constanter usque ad mor-
 tem conari superare: idq; amore Dei,
 & zeli imitandi constantiam Christi,
 heroico affectu & conatu, inuicto
 animi robore, & inexhausta diutius, &
 in magis arduis constantiam probādi
 cupiditate. Quoad externos verò
 actus,

actus, hæc omnia verbo & opere ipso declarando, ex pura intentione, cum debita voluntatis promptitudine, omniumque virium applicatione. His consideratis, prædicta desideria elicenda cum propositis practicis.

II. Quam excellenter hanc Constantiam exercuerit B. V. tota vita in omnibus suis actionibus, maximè in annunciatione incarnandi Verbi mysterij, præferendo votum virginитatis dignitati Matris Dei, astando crucimorientis filij: ad maiorem sanctitatem indefesso labore contendendo peractus omnium virtutum intensiores usque ad extremum spiritum! Quando excellentius Christus Dominus tota vita in omnibus quæ dixit, fecit, passus est, maximè in cruce, ubi consummauit perfectissimè opus nostræ redemptionis! Zelus imitandi.

III. Incitamenta, quod constantiam in bono Deus maximè nobis incul-

Eccles. 10.

& 11.

cet. 1. Monitis, *Si spiritus potestatem habens ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Confide in Deo, & mane*

Ezech. 33. in loco tuo. 2. Minis, Iustitia iusti non

Apoc. 3. liberabit eum in quacumque die peccaverit. Ecce venio cito, tene quod habes,

De nemo accipiat coronam tuam. 3. Promissis, *Esto fidelis usque ad mortem, & Apoc. 2. dabo tibi coronam uitae. & Qui perseverauerit usque ad finem, hic saluus erit.* Feruor proficiendi in constantia.

De Temperantia, Abstinentia, & XLII.
Sobrietate.

I. **E**Xpende in quo consistat Temperantia, Abstinentia, & Sobrietas, & quomodo exercendæ. Temperantia in genere. *Est virtus qua cohibet appetitum ab ijs, quæ turpiter appetuntur.* Abstinentia *qua in ciborum, Sobrietas qua in potionis maxime inebriantis sumptione debitum modum constituit.* Hæc sic possunt meritorie exerceri, quoad actus quidem internos, volendo, desiderando, ac proponendo actus eius externos sequentes exercere. 1. In ijs, quæ spectant ad corporis voluptatem, omnem honestatem amplecti, omnem turpitudinem erubescere, & in ijs assumendis pro mensura necessitatem habere. 2. Non appetere nec sumere cibos vetitos: non lautiores: non communes exquisitus conditos: non singulares: non extra tempora consueta, & necessitatem: non excedere in quantitate, modo

modo & numero esculentorum, & de his subtrahere quæ sanitati non nocent.
 3. Non excedere in mensura, modo, & qualitate potus, & aliquando à potu necessario abstinere, & sitim sanitati non officientem pati. Quoad actus vero externos hæc omnia re ipsa præstare: idque ob finem naturalem, maxime ob Dei gloriam, omni oblata occasione, magna alacritate animi, & constanti victoria sui. Feruor perfecte hos actus internos externosque frequentandi.

II. Quam eximie hos actus exercuerint Sancti Temperantię studiosissimi, quanto excellentius B. V. à teneris annis vsque ad mortem, Angelicam vitam æmulans in terris, nauseans omnia terrena oblectamenta, anhelans ad cælestia; provocata insuper exemplo filij 40. dies ieiunantis, & alias sæpius esuriens, sitientis, in summa siti morientis. Zelus æmulandi.

III. Inciramenta 1. Quod Temperantia mirè placeat Deo, eam toties nobis commendanti, vti per Ecclesiasticum:

- Eccl. 37.* Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, & per
Rom. 13. concupiscētis. & per Unigenitum suum:
Luc. 21. Attendite vobis, ne forte grauentur cor-

da vestra cravula & ebrietate.

2. Quod animæ plurimum profit, eius hostes domando (vbi præfiguratum in sobrio Daniele) luxuriam, iram, auaritiam, ventris curam, diaboli infestationes, mentemque ad arcana Dei capienda idoneam reddendo, & suauitate cœlestium deliciarum saginando.

3. Quod corpori quoque plurimum profit ad sanitatem, vitamque longiorem conseruandam: *In multis escis erit infirmitas, & per crapulam multi perierunt, qui autem abstinentes est, adijciat vitam.* Eccl. 37.

De Castitate.

XLII.

I. **E**Xpende quomodo Castitas perfecte sit exercenda, (quæ est virtus, qua quis promptè & delectabiliter ad maius Dei obsequium corpore & mente carnis voluptatibus abstinet) quoad actus quidem internos sic: 1. Magni eam faciundo, intimeque amando, cum omnibus medijs necessarijs ad eam agendam & conseruandam, eaque proponendo adhibere. 2. Abominando intellectu & affectu omnem impuritatis speciem; cum omnibus quæ Angelicam puritatem possunt coinquinare, eaque vitare statuendo. 3. Quam primum desideria & motus indecentes reprimendo,

Iii

mendo,

mendo, fœdisque cogitationibus resistendo. Quoad actus externos verò sic: 1. Abstinento ab omni impuritatis specie in verbis, moribus, motibus corporis. 2. Præcauendo omnia pericula & occasiones lædendæ castitatis. 3. Sollicitè adhibendo media necessaria ad eandem Castitatem conseruandam; Idque purè ob honorem & beneplacitum Dei, summa mentis vigilantia, seria in adhibendis medijs contentationibus constantia, & insatiabili desiderio maioris puritatis. Feruor Angelicam mentis & corporis puritatem conseruandi, & augendi.

II. Quam luculentum huius Angelicæ virtutis exemplum nobis præbuerit B. Virgo, quæ tantò eam perfectius coluit, plurius estimauit, intimius amauit, sollicitius exercuit, quò Deo sciebat esse gratiorem, eam augendam & conseruandam sedulò adhibendo, idque tota vita Zelus B. Virginem in studio huius virtutis imitandi.

III. Incitamenta. 1. Quod Castitas in amorem sui rapiat cœlestem sponsum,

Cart. 6.

qui nascitur in sy lilia, eumq; mirè sibi deuiciat, iuxta illud: Qui diligit cordis

Prov. 1.

suu uicem, propter gratiam labiorum suorum

rum

suorum habebit *amicum Regem*. Insuper etiam singularem Angelorum fauorē sibi conciliet, qui eos maximē diligūt, quos sibi simillimos cernunt. 2. Quod castorum mentes idoneas reddat ad extraordinariā diuinæ largitatis charismata percipienda, vt patet in D. Iohanne Euangelista, cui tam sublimia constat reuelata mysteria, multisque alijs angelica puritate conspicuis mirē à Deo illuminatis, atque ad sublimem Sanctitatis gradum euectis. 3. Quod peculiarem in cœlo mereatur aureolam, nullis alijs præterquam Virgibus secuturis Agnum quocumq; ierit, & cantaturis canticam nouum imperiendam. Zelus in studio angelicæ puritatis proficiendi; omnesque eius lædendæ occasiones euitandi.

De Mansuetudine & Clementia.

XLIV.

I. **E**Xpende quomodo perfectè exercenda sit Mansuetudo, (*qua est virtus, que iram aduersus iniuriam inferentes comprimit:*) quoad actus quidem internos, volendo, desiderando, & proponendo hos externos illius actus exercere. 1. Nec verbo austeriore, nec vultu seueriore, nec alio signo iram exsurgentem exterius prodere, sed vel

Iii 2

pacato

pacato animo silenter iniurias ferre, vel placido vultu, & blando sermone discretè calumniatoribus respondere. Interius iram pijs considerationibus cohibere, pacatum animum conseruare, iniurias illatas non grauitè apprehendere, sed excusare. 3. Ex animo offensas remittere easque interna beneuolentia, externaque beneficentia compensare. Quoad externos porro actus hæc tria prædicta verbo, vultu, facto ipso præstare. Idque ex pura intentione non solum honestatis huiusce virtutis, sed etiam honoris & beneplaciti diuinæ Maiestatis; *Magno* internæ beneuolentiæ affectu, & serio omnium virium conatu; *Constantè & Indefatigabiliter* quauis oblata occasione. Quam excellenter hos perfectæ mansuetudinis actus internos, externosque exercuit B. Virgo erga calumniatores, persecutores, occisores filij! Quantò excellentius Christus ipse, tum tota vita, tum præcipuè in passione sua! Zelus hos mansuetudinis actus frequentandi.

II. Quomodo Clementia Mansuetudini affinis, *que vindictam pœnasque infligendas moderatur*, sit exercenda; quoad actus quidem internos: 1. Volendo & propo-

proponendo debitas delinquentibus
penas moderatè remittere. 2. Defectus
aliquos non nimis graues subindè dis-
simulare. 3. In proteruos, & bonum
commune ledentes, cum aliter neque-
ant coerceri, seueritate vti. Quoad ve-
rò externos hæc eadem re ipsa discretè
præstare, recta cum intentione diuini
obsequij, & verbi boni tum delinquen-
tium, tum aliorum, quorum indènta-
ti & vtilitati consulitur: cum debita
interna mentis tranquillitate & bene-
uolentia; exterioriq; vultus serenitate
& decencia. Quam eximè hos elicie-
runt Sancti Clementiæ laude clari,
Moyſes, David, Petrus, Paulus, alij, &
supra omnes Christus Dominus de-
fectus suorum discipulorum toties
dissimulans, peccatores tam benignè
in gratiam recipiens, adulteram com-
punctam à periculo lapidationis eru-
ens, blasphemantibus & crucifigenti-
bus se parcens. Zelus Clementiam
Saluatoris & Sanctorum æmulandi.

III. Incitamenta, quorum 1. sit exem-
plum *Infinite Mansuetudinis & Clemen-
tia Dei*, qui innumeris hominum pec-
catis in momenta penè singula prouo-
catus, non se continuò irritari, nec à
solitis beneficijs exhibendis dimoueri

luit; nec statim pro meritis prevaricatoribus poenas semper infligit, sed in longum plerumque tempus, dans locum poenitentiae, differt.

1. Pet. 2.

2. Exemplum Christi Domini, (qui cum malediceretur, non maledicebat: cum periretur, non comminabatur,) quam merito proinde audiendus, dum nos ad se invitandum inuitat, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Mate. II. 3

Exemplum sanctorum Angelorum tutelarium, tanta mansuetudine & clementia clientum suorum tantam ingratitude, contumaciam, proteruiamque tanto tempore tolerantium. Feruor proficiendi in mansuetudine & clementia.

XLV.

De Natura, Conditionibus, & Gradibus Humilitatis.

Lib. de
grad.
humil.

2. 2. 9.

I. **E**Xpende in quo consistat perfecta Humilitas; (quae iuxta D. Bernardum: Est virtus, qua quis ex verissima sui cognitione sibi vilescit. vel iuxta D. Thomam: Virtus refrenans impetus animi, ne tendant in magna: vel, ne existimet se esse supra id quod est.) Nimirum, in eo, ut quis. Quoad intellectum sublimitatem Dei tanquam fontis infiniti omnium bonorum viua fide appre-

apprehendat; & quoad voluntatem
 eidem se cum magna reuerentia sub-
 mittat. 2. Vt similiter quoad intelle-
 ctum suam propriam vilitatem &
 abyssum nihili sui profundè penetret,
 seque vilem & despicabilem verè co-
 ram Deo agnoscat; & quoad volunta-
 tem ex animo se despiciat, despicique
 ab alijs exoptet. O quam pretiosa Mar-
 garita est hæc Humilitas, qua æterna
 potest in cælo tam facilè comparari
 sublimitas! Desideriū verè humilitatis.
 II. Quas exigat Humilitas, vt maioris
 sit pretij & meriti, conditiones: vide-
 licet 1. vt *pura & recta* sit, seu vt ex
 corde puro gratia informato prodeat;
 rectaque in depressionem sui, & exal-
 tationem Dei tendat. 2. vt *Magna* sit,
 quoad latitudinem, ad omnes seipsum
 humiliandi, contemptumque ab alijs
 quibuscumque patiendi occasiones,
 modosque se extendens quoad longi-
 tudinem, ad finem vsque vitæ, & ultra
 perdurans: quoad sublimitatem, sum-
 mum sui contemptum appetens: quo-
 ad profunditatem infra omnes, nemi-
 ne dempto, se demittens, & profun-
 dius demittere exoptans. 3. vt *For-
 tis & constans* sit, eadem inter summos
 honores & summas contumelias

inconcussa perseverās. Quāto rarior tam perfecta humilitas est in mundo, tanto carior est, & pretiosior in celo. Feruor ad hanc humilitatis perfectionem anhelandi.

III. Quinam præcipui gradus Humilitatis, hi videlicet triplices, ex plurimis passim à varijs assignari solitis. 1. Scipsum vilem agnoscere & reputare: nō magni æstimare, nec alijs præferre. 2. Velle ab alijs quoque vilipendi, reputari, tractari, non magni æstimari, laudari, honorari. 3. Se omnium vilissimum, miserrimum, pessimum, spectando ea quæ ex se habet, reputare, & ab alijs reputari optare, & si id fiat, gaudere, quantumvis magnis honoribus, donis, & virtutibus affluat: id quæ non intuitu supplicij, quod metuat, nec præmij, quod speret, sed vniæ beneplaciti Dei, quod solum querat; nec id solum tempore pacis & consolationis cum æquanimitate & promptitudine, sed etiam tempore cuiusvis tentationis & desolationis, cum alacritate & exultatione. O quā hic postremus humilitatis gradus est sublimis! quam rari ad illum pertingunt! quāto studio proinde ad illum contendendum omni, qui magnos Sanctos, tam feliciter eum.

eum conscendentes, imò ancillam SS. Trinitatis humillimam, in hoc gradu excellentissimam, post filium huius virtutis speculum perfectissimum, cupit æmulari.

De Fundamentis perfecta Humilitatis. XLVI.

I. **E**Xpende. I. Fundamentum humilitatis, quod est hominem absque concursu Dei nihil esse, nihil posse, nihil facere, & quidem tam in naturalibus quam supernaturalibus, excepta sola peccati malitia, quæ solū privatio boni est, nihil est, imò peius nihilo est; discurrendo per tria tēpora, quid homo fuit, est, erit: quid potuit, potest, poterit: quid fecit, facit, faciet absque auxilio & concursu diuino; quid nisi purum, putum nihil? iuxta illud Apostoli: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. & Non sumus sufficientes aliquid cogitare à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra à Deo est.* & illud Christi: *Sine me nihil potestis facere.* Quā clarè hoc agnouere magni Sancti humilitate conspicuit? quantò clarius Virgo humillima? Si & tu agnosceres, quam falè te vilem agnosceres & deprimeres? His expensis excitandus affectus propriæ vilipensionis, iuxta primum gradum humilitatis.

Gal. 6.

2. Cor. 3.

Iob 15.

II. Expende fundamentum alterum humilitatis, quod est, omnia bona naturæ & gratiæ habere hominem à Deo, à se autem solum peccatum, vitiosos habitus, & miseras peccatum consequentes: ideoque omni contemptu, illusionem, contumelia, iniuria & opprobrio dignum; Discurrendo per omnia dona quæ habet, de quibus omnibus sentiendum cum Apostolo: *1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum.* Similiter discurrendo per grauiora peccata à se commissa, quorum vnumquodque cum læserit infinitam Dei Maiestatem, an non dignum puniri omni contumelia, quæ vnquam homini illata est, aut inferri in hac vita potest, cū iustè æternum gehennali puniatur pœna, & quidem infra condignum? Quam benè & hoc apprehenderunt Sancti olim lapsi, in gratiam recepti, imò etiam alij à lapsu grauiori gratuita Dei gratia præseruati! Quis se nimis ab alijs deprimi, contemni, illudi, contumelijs vexari, dicere & cogitare auderet, si veritatem prædictorum viuua fide apprehenderet, crebroque memoria versaret? Desiderium omnis generis humiliationses, ignominias, contumelias, submisso animo ferendi, imò.

imò appetendi, iuxta gradum humili-
tatis.

III. Similiter expende tertiū funda-
mentum, quod est hominem, quan-
tumvis magnis Dei donis, & virtuti-
bus præditum, debere se vilissimum,
pessimumque omnium, secundum id
quod ex se habet, meritò reputare, in-
fra omnes demittere, & omne bonū
quod habet, Deo in solidum asseribe-
re, cum ex se nihil sit, possit, habeat,
& donis à Deo gratis acceptis melius
viti debuerit; Insuper cum gratuita sit
misericordia Dei, quod actu omnium
miserrimus & pessimus non sit, &
minima dona naturæ, & gratiæ non
acceperit. Unde quisque meritò de se
sentire deberet, quod sentit Apostol⁹:

*Ego sum minimus Apostolorum, & non
sum dignus vocari Apostolus.* Et quod
sentit S. August. inquires: *Nisi tu hoc
mihi fecisses (præcidens scilicet laqueos pec-
catorum, tollens occasiones & causas) ego
omnia peccata mundi fecissem, Quoniam
scio Domine, quod nullum peccatum est,
quod fecerit unquam homo, quod non possit
facere alter homo, si creator desit, à quo fa-
ctus est homo. Sed quod non facerē, tu fecisti;
quod abstinere, tu iussisti; & quod tibi cre-
dere, gratiā tu infudisti. Quam profundè*

1. Cor. 15.
Solil. 15.

penetrarunt hanc abyssum illuminatissimi Sancti, quantò profundius singularis illa aquila Virgo beata, quanto diuinius tam humilis Virginis humilimus Filius infra omnes se humilias, infinito interuallo omnibus charismatum prerogatiuis vniuersos supergrediens? Tu quoque si hanc abyssum intueberis, infra omnes etiam abiectissimos & peruersissimos te, quantiscunq; sis ornatus donis nature & gratie, facile deprimes. His ponderatis elicienda desideria infra omnes se humiliandi iuxta tertium gradum humilitatis.

LVII. *De actibus humilitatis internis, externisque perfectè exercendis:*

I. **E**Xpende quomodo actus interni triplices (qui sunt; vilem se reputare; vilem reputari velle; pessimum omnium se aestimare, aestimariq; velle) perfectè sint eliciendi, nimirum 1. *Latè* circa omnia obiecta, occasiones, modosq; humilitatis exercēde; quoad intellectum & affectum se vilem & contemptibilem quoad omnia, omnibus donis nature & gratie indignum, absque Deo nihil esse, posse, facere agnoscendo, & sentiendo: se nullo honore, fauore, sed omni potius con-

tempri

tempus & opprobrium, ob tot peccata sua dignum reputando: talemque haberi & tractari ab omnibus, si sine offensa Dei fieri posset, desiderando: Nulla omnino bona naturæ & gratiæ sibi, sed Deo in solidum ascribendo, nulli ob ea se præferendo, sed se abiectissimum & vilissimum omnium, secundum id, quod ex se habet, reputando, seque talem reputari optando. 2. *Purè* ob unicum Dei honorem, amorem, beneplacitum, non ob vllum alium finem, & respectum ordinatum. 3. *Intensè* omni possibili conatu intellectus & voluntatis. 4. *Constanter* inter quasuis exaltationis & depressionis, consolationis & desolationis, pacis & belli vicissitudines. 5. *Insatiabiliter* quoad inexplibilem maiorem humiliationis sui, & exaltationis Dei appetitum. Quàm crebrò, quam facili negotio, quantumcum merito possent sic, nunc hi, nunc illi, nunc omnes simul interni humilitatis actus in meditatione, aliasq; cū Diuina gratia frequentari! His expensis eliciendi hi tres affectus, aut aliqui eorū prolixius, iuxta exemplar positū in Enchiridio Industrialium c. 7. §. 3.

II. Quo pacto externi actus similiter triplices, his internis correspondentes

sint valdè meritoricè exercendi. videlicet 1. Discretè verbo, ipsoque modestè loquendi modo, multoque magis factò ipso vilem de seipso existimationè prodendo, nihil ad laudè sui proferendo, officia humilia libenter amplectendo, vltroque petendo, speciosa vero refugiendo, ægreque oblata admittendo. 2. æquo hilarique animo, blando ore, serena fronte ferendo admonitiones, reprehensiones, exprobrationes, irrisiones, aculeata & iniuriosa verba, non temerè excusando, arguentes non redarguendo, non similia diæteria regerendo; Item simili mentis, oris & frontis serenitate ferre se ab alijs postponi, ad nihil idoneū iudicari, negligi, contemni, rideri. 3. Verbis & factis ipsis pro re nata declarando, quod se abiectissimū & pessimum dicto modo reputet, & reputari se optet, & gaudeat, soli que Deo quidquid boni habet insolidum cum omni honore & gloria ipsi soli debita transcribat: Atque hæc omnia faciendo non fucate, vt quis humilis appareat, sed sincere coram Deo, vt illi soli propter seipsum placeat; cū profunda ruminacione sui nihili & intima depressione sui, & magna cū constantia inter magnas etiam occur-
 ren-

rentes difficultatū & tentationū remoras tota vita, cū heroicis insuper desiderijs in pluribus, magisq̄ arduis, & perfecti^o se humiliādi. Feruor hos & similes actus eternos humilitatis perfectē frequētādi, iuxta modū insinuatū.

II I. Quam perfectē hos internos, externosque humilitatis actus frequētātarint maximi Sancti in oculis suis minimi: & supra omnes ancilla Domini humillima, à primo momento vsus rationis, paruula in domo paterna, in tēplo, de despōsatione Iosephi, in cōceptione Verbi incarnati, in visitatione Elisabethæ, in natiuitate, eblatione, persecutione, passione filij, tota vita, idq̄; intellectu, affectu, verbis, moribus factis ipsis: Quanto porro perfectius filius Dei eosdē tota vita continuerit, seipsum exinaniens, profundissimeq̄; qua homo se demittens, omnia humanitati suæ collata, charismata infinitæ liberalitati diuinæ accepta referens, idq̄; potissimum primo instanti Incarnationis in Virgineo vtero, natus in vili stabulo, exulans in Ægypto, fabrilē tot annis exercēs, pauperibus discipulis ministrans: pedes etiā Iudæ lauans, Barabbe se postponi, sperni, illudi, opprobrijs saturari, inter latrones crucifigi permittens? Zelus imitandi.

XLVIII. De medijs humilitatis obtinenda
& Incitamentis.

EXpende media interna ad obtinendam perfectam humilitatem adhibenda, cuiusmodi sunt; quoad intellectum 1. Conari profundè penetrare supradicta fundamenta humilitatis, viuaque fide veritates illis cõprehensas apprehendere. 2. earundem veritatum cognitionem altè memoriæ infligere, crebroque renouare, ruminando aliquas illustriores SS. Scripturæ, aut SS. Patrum sententias, quibus eadem veritates astruantur. 3. Premunire animum contra superbix impugnationes, aut vanæ complacentiæ titillationes obrepere solitas, abyssum vilitatis & nihilitatis suæ infinitæq; excellentiæ, & sublimitatis Diuinæ crebrò intuen- do; omnia quæ habet bona gratuita Dei munera esse iudicando, seq; secundum se spectatum omnium vilissimū & miserrimum coram Deo sincerè agnoscendo. Quoad voluntatem verò frequentare actus triplices internos humilitatis prolixius in meditatione, aut alias premissis solito discursu, quo illi vehementius inflammentur. 2. Eosdem actus vel omnes, vel nunc hos,
nunc

nunc illos, crebro, interdiu, maximè tempore tentationis superbiæ, aut inanis gloriæ renouare, per modum piarum aspirationum. 3. Certum numerum actuum humilitatis eliciendorum sibi præfigere per modum examinis particularis, strenueque propositum, vsquedum habitus acquiratur, vrgere. Quæ hæc media suauiæ & efficacia sint, ad omnes superbiæ impetus retundendos, profundiusque veræ humilitatis radices figendas. Feruor his medijs serio vtendi.

II. Media externa, qualia sunt. 1. actus externos triplices humilitatis cum pura intentione, debita intellectus attentione, & voluntatis promptitudine quauis oblata, vel quæsitâ occasione frequentare, vltro petendo & libenter amplectendo oblata humilia officia & abiecta munia, non fugiendo, sed quærendo occasiones tolerandi contemptum sui, reprehensiones, irrisiones, contumelias, iniurias, se vilissimum haberi & tractari gaudendo. 2. defectus externos humilitatis actibus contrarios, per examen particulare eradicare conari. 3. Eisdem defectus sepius admissos voluntarijs pœnitentijs expiare. Quæ media si serio cum ierian-
umi-

ruminatione fundamentorum humili-
tatis, & pia eius interiorum affectuum
innouatione frequententur, non faci-
lia solum, sed etiam valde efficacia ad
habitum humilitatis acquirendum ef-
se deprehendentur. Desiderium hæc
strenuè constanterque adhibendi.

III. Incitamenta. Quorum 1. sit, quod
assiduum perfecta humilitatis exerci-
tium nõ solum nos conformes reddat
Christo, B. Virgini, & magnis Sanctis
in terris, sed etiam in cælis, qui inti-
mam humilitatem inchoatam in via,
continuant in patria: & quidem cõ-
sublimius, quò abyssum sui nihili, &
infinite excellentiæ Dei intuentur cla-
rius. vti reuelatum D. Ioanni, qui vidit
beatos prostratos in facies suas, & mir-
rentes coronas suas ante thronum Dei
adorare viuentem in sæcula sæculo-
rum. 2. Quod animam humilis red-
dat capacem omnium donorum etiam
maximorum naturæ, gratiæ, & gloriæ,
quæ illi Deus voluerit infundere, vt
patet in humillima Christi Domini &
B. Virginis anima. 3. Quod sit opti-
mum medium ad intimam cum Deo
familiaritatem, arctissimamq; vnionem
pertingendi. *At quem enim (vt ait per
Isaiam) respiciam, nisi ad pauperulum,* &
con-

Apoc. 4.

cap. 5.

Isa. 66.

conivitum spiritu, & trementem sermones
meos: Vnde rectè D. Augustinus: *Altus* *Serm. 7.*
est Deus, humilias te & descendit ad te: E-
rigis, & fugit à te: quare? quia excelsus est, *de Ascens.*
& humilias respicit, & alta à longè cogno-
scit. Zelus proficiendi in profunda hu-
mitate.

De Studiositate.

XLIX.

I. **E**Xpende quomodo piè exereen-
da sit Studiositas, (qua est virtus,
qua immoderatum appetitum sciendi mo-
deratur, & ad moderatum studium scien-
tiarum impellit. Vitia ei opposita sunt
curiositas & negligentia:) nimirum sic
quoad actus internos, desiderando, &
proponendo hos sequentes externos
exercere. 1. Nolle scire noxia, prohibi-
ta, curiosa, inutilia: neque scientiã sa-
luti & veræ virtuti præferre. 2. Stude-
re rebus vtilibus ea diligentia, fine,
loco, tempore, modo quo oportet, &
ad hæc addiscenda appetitum dormi-
turientem excitare. 3. Intellectum &
affectum, sensusq; tum internos, tum
externos ab inutilium, & noxiarum
curiosa perceptione reprimere. Quo-
ad actus externos, hæc prædicta om-
nia re ipsa præstando, idque cum re-
cta finis supernaturalis intentione.
cum seria intellectus, omniumque vi-
rium

rium applicatione: cum discretia in labore studendi cōtinuando assiduitate & constantia. Feruor hos studiositatis actus perfectè meritorieq; exercendi.

II. Quam præclarè in hac virtute excelluerint tot viri Sancti, eiusque præsidio cum Diuina gratia eximiam scientiæ præminentiam sint assecuti, qua & sibi ingens augmentum gratiæ & gloriæ pepererunt, & toti mundo mirificè præluxerunt: quales fuere D. Hieronymus, Augustinus, Thomas Aquinas, multi etiam recentiores, uti Bellarminus, Franciscus Suarez, alijque, qui non minus eximia vitæ integritate & sanctitate, quam ingenij subtilitate & scientia posteros in admirationem rapuerunt. Zelus æmulandi.

III. Incitamenta, 1. Quod hæc iuxta normam studiositatis in scientiarum studiū incumbendi ratio sit Deo gratissima, cum eius præcipuè gloria intendat, mirificeque augeat. 2. Quod sit optimum instrumentum propriæ alienæque perfectionis promouendæ, cum scientia virtuti coniuncta intellectum mirificè illuminet, & voluntatem ad perfectionis studium vehementer inflammet. 3. Quod animam ad peculiarem Doctorum aureolam in cælo

lo promerendam disponat. Feruor iuxta huius virtutis præscriptum studijs vacandi.

De Taciturnitate & Modestia.

L.

I. **E**Xpende quomodo exercenda sit, ut Deo magis placeat discreta taciturnitas (qua est virtus, qua immoderatus loquendi appetitus tum inutilia, tum etiam utilia, sine debito modo, & tempore cohibetur, habetq; vitia opposita loquacitatem, & nimiam taciturnitatem:) quoad actus quidem internos sic: volendo & proponendo hos sequentes actus externos exercere, qui sunt: 1. Nihil illicitum, inutile, & otiosum proferre, 2. Nec bona extra tempus & locum sine debitis circumstantijs, non ad ostentationem, sed ad Dei gloriã, nostram aliorumque necessitatem, & utilitatẽ. 3. Ad spiritum recolligendum certis temporibus promptẽ secessum captare, atque ab ordinario etiam docendi, & monendi officio cessare. Quoad externos verò actus hæc eadem facto ipso præstando, idque pura intentione Diuini beneplaciti, & spiritualis nostri, aliorumque profectus, serio prudenter, constanter. Quam egregiẽ id præstiterit B. Virgo paruula in templo: salu-

salu-

salutata ab Angelo, Elisabetham inueniens: ante & post ascensionem filij parum cum hominibus, multum cum Deo colloquens! Quanto perfectius Christus Dominus penè vsque ad 30. annu silens: 40. diebus in cretum, sepius in montes, & loca deserta secedens: ante passionem in ciuitate Ephrem latitans: apud Herodem & Pilatum tacens: sicut agnus obmutescens cum duceretur ad victimam: Zelus perfectè seruandi laudabile silentium, & amandi secretum.

II. Quomodo piè meritorieq; sit exercenda modestia (qua est virtus, qua externos corporis motus, & gestus moderatur, ludis & iocis moderationè adhibet, cultui & apparatusi persona debitum modum imponit, vitia illi opposita sunt insolentia & rusticitas:) quoad actus quidem internos sic: Desiderando, ac proponendo actus sequentes externos exercere. 1. Caput, oculos, frontem, labia, linguam, vestes, manus, incessum, & omnes corporis motus & gestus decenter, religioseque componere. 2. Ludis & iocis animi remittendi gratia uti raris, decentibus, statui, personæ, & ædificationi aliorum congruentibus. 3. In vestibus & supellectile omnem cauere immu-

immunditiam, exquisitum nitorem,
mollitiem, ambitionem & curiosita-
tem, & quicquid minus ordinatum
affectum redolet, minusque ædificat.
Quoad externos verò actus, hæc om-
nia re ipsa præstare conando, idque
sincero animo, non hominibus, sed
Deo placendo, debita cum diligentia,
constantia, decentia & ædificatione.
Quam eminenter hac virtute excellu-
erit B. Virgo, aspectu, verbo, gestu, &
omni corporis motu, diuinum quid
præ se ferens, omnes ædificans, idque
eò perfectius, quò purior erat in his
omnibus eius intentio, maiorque cum
Deo, quem præsentem iugiter revere-
batur, coniunctio? Quantò adhuc e-
minentius Christus eadem præcellue-
rit puer duodennis Doctores in ad-
mirationem rapiens: in prædicatione
docens, cum omnium stupore tanquã
potestatem habens: Seruos submissos
ad se apprehendendum attonitos red-
dens: omnes mira morum grauitate,
suauitate, gratia in admirationem sui,
venerationem & amorem mirificè tra-
hens? Zelus imitandi.

I H. Incitamentum ad assiduũ vtriuf-
que virtutis exercitium, cuiusmodi
sunt,

sunt, quod per illud zelus triplex Deo
tam honorificus, nobis tam necessari-
us, proximis tam fructuosus mirum in
modum promoueatur. 1. Zelus Diui-
næ Maiestati vbique præsentis debita
reuerentiam, cultum, obsequiumque
perfectè exhibendi, arctissimamque
cum eo familiaritatem per crebras pi-
orum affectuum & suspiriorum eia-
culationes iugiter fouendi. 2. Zelus ad
eximiam conscientia puritatem, mè-
tis tranquillitatem, & virtutum soli-
ditatem pertingendi. 3. Zelus ardens
proximos omnes Christo lucrandi, at-
que ad serium eximia perfectionis v-
niuscuiusque statui propria studium
efficaciter, verbo & exemplo pertra-
hendi. Ad quem triplicem zelum ac-
quirendum, augendum, conseruan-
dum, quantum conferat accurata lin-
guæ custodia, & religiosa modestia,
quàm clarè quotidiana probat expe-
rientia? Zelus in vtraque hac
virtute constanter
proficiendi.

Finis Meditationum Sextæ
Partis.